PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA
FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM
IN URBE

DE SINGULORUM HOMINUM DAEMONE IMPUGNATORE


DISSERTATIO AD LAUREAM

A

FR. SEBASTIANO WEBER, O. F. M. Conv.

Ex Provincia Americana

Immaculatae Conceptionis B. M. V.



PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA O. FF. MM. CONV.

ROMAE

(Via San Teodoro 42)

1938

De Singulorum Hominum Daemone Impugnatore

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA
FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM
IN URBE

DE SINGULORUM HOMINUM DAEMONE IMPUGNATORE

DISSERTATIO AD LAUREAM

A

FR. SEBASTIANO WEBER, O. F. M. Conv.
Ex Provincia Americana
Immaculatae Conceptionis B. M. V.

To Dr. Hutchins
with the author's compliments

Fr. Sebastian

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA O. FF. MM. CONV.
ROMAE
(Via San Teodoro 42)
1938

Vidimus et approbamus.

P. M. MICHAEL GALLUPPI, O. F. M. CONV.
SAC. GENESIUS TURCIO

Romae, ex Pontificia Facultate Theologica FF. MM. Conv.
die 12a Maii, 1938.

Ex parte Ordinis nihil obstat

quominus dissertatio ad lauream in S. Theologia "De Singulorum Hominum Daemone Impugnatore" a Fr. Sebastiano Weber, sacerdote O. N. concinnata, typis mandetur.

In quorum fidem, etc.

D. Romae ad SS. XII Apostolos
Die 14a Maii anni 1938i.

FR. BEDA HESS,
Min. Gen.



Imprimatur.

✠ EDMUNDUS F. GIBBONS,
Episcopus Albanensis in America.

Albani, die 30a Maii, 1938.

Chg

IMMACULATAE

BEATAE MARIAE DEIPARAE

MATRI CORPORIS MYSTICI CHRISTI

COREDEMPTRICI UNIVERSALIQUE MEDIATRICI

AD ANTIQUI SERPENTIS CAPUT

VIRGINEO PEDE CONTERENDUM

AB AETERNO DIVINITUS ORDINATAE

OPUSCULUM HOC QUALECUNQUE

PERAMANTI AC FILIALI DEVOTIONE

DICATUR



ST. ANTHONY GUILD PRESS
FRANCISCAN MONASTERY
PATERSON, NEW JERSEY

PRINTED IN THE UNITED STATES OF AMERICA

INDEX ANALYTICUS

Paginae

Bibliographia XIII

INTRODUCTIO

Ratio, utilitas, et scopus tractandi quaestionem .... 1 - 3

CAPUT PRIMUM .... 5 - 10

ARGUMENTA SCRIPTURISTICA

1. Varii textus pro sententia affirmativa allati: *Mt.* 18 10; *Io.* 13 2, et *Ps.* 108 6 DE JUDA TRADITORE 5-7
2. EX HISTORIA JOB 7, 8
3. De "STIMULO CARNIS" et "ANGELO SATANAE" S. Paulo dato .... 8 - 10

   CONCLUDITUR, nullum dari in s. Scriptura fundamentum pro sententia affirmativa 10

CAPUT SECUNDUM .... 11 - 38

TESTIMONIA EX TRADITIONE

Generalis ratio traditionis hac de re 11

1. Textus *Pastoris* HERMAE, super quem tota haec traditio fundatur; examen eius valoris externi et interni; specialiter de significatione verbi πίστις . 11 - 17

Paginae

2. EPISTOLA BARNABAE, non favet sententiae affirmativae 17, 18
3. Varii textus ex ORIGENE desumpti: *De Principiis* 3 2; *Hom. 23 in Jos.* n. 3; *in Ep. ad Rom.* 1 18; *Hom. 12 in Luc.; Hom. 35 in Luc.; Contra Celsum* 8 65, ex quibus solummodo duo ultimi de proprio daemone valent .... 18 - 23
4. LACTANTIUS (*Div. Institut.* 8 15), immerito citatur 23, 24
5. TERTULLIANUS (*De Anima cc.* 39 et 57), textus non est ad rem .... 24 - 26
6. S. BASILIUS (*In Is.* 3 12), loquitur de impugnatione diabolica in genere 26, 27
7. S. GREGORIUS NYSSENUS (*De Vita Moysis*), aperte tenet sententiam affirmativam ..... 27 - 29
8. S. CHRYSOSTOMUS (*Hom. 3 in Ep. ad Coloss.* 1), falso dicitur suffragari 29, 30
9. TESTAMENTUM 12 PATRIARCHARUM, 4, non de proprio daemone 30
10. OPUS IMPERFECTUM IN MATTH., *Hom. 5* nullum in hac re habet valorem 31
11. SERMO AD FRATRES IN EREMO, non est ad rem 31, 32
12. CASSIANUS, indubie favet sententiae affirmativae .... 32 - 34
13. ANTIOCHUS LAURAE, vere eidem opinioni patrocinatur 34
14. TRADITIO GENTILIUM in favorem sententiae de gemino angelo cuique homini adhaerente cursivo calamo examinatur .... 34 - 37
Breviter recensetur tota traditio circa hanc quaestionem 37, 38

Paginae

CAPUT TERTIUM .... 39 - 55

THEOLOGICA QUAESTIONIS EVOLUTIO

Quid de hac re senserint Scholastici primaevi et posteriores 39

1. PETRUS LOMBARDUS, explicite docet sententiam affirmativam 39, 40

2. Posteriores, praesertim Magistri pedisequi: BANDINUS, PETRUS PICTAVIENSIS, ALEXANDER HALENSIS, CAESARIUS HEISTERBACENSIS, S. THOMAS, S. BONAVENTURA, B. SCOTUS, RICARDUS DE MEDIAVILLA 40, 41

3. Inquiritur DE GENESI TEXTUS MAGISTRI, quem posteriores in auctoritatem habent; dependentia Lombardi a HUGONE DE S. VICTORE et HILDEBERTO, apud quos idem textus quasi ad verba invenitur; relatio inter *Summam Sententiarum* Hugoni attributam et *Tractatum Theologicum* Hildeberti; ratio temporis; doctrina Hildeberti cum ea Magistri et Hugonis comparatur 41 - 47

4. Quisnam sit iste "GREGORIUS" ab Hildeberto, Hugone, et Magistro in auctoritatem citatus; utrum sit S. Gregorius M., quem aperte isti putarunt, an potius S. Gregorius Nyss.; posterior eligitur per modum hypothesis .... 47 - 51

5. Describitur ULTERIOR QUAESTIONIS INVESTIGATIO apud posteriores theologos; placita affirmantium et negantium presse recensen-

Paginae

tur; observatio curiosa, quare sententia affirmativa maiorem non obtinuerit favorem durante medio aevo .... 51 - 55

RECAPITULATIO 55

CAPUT QUARTUM .... **56 - 80**

ARGUMENTA RATIONIS THEOLOGICAE

PRAENOTAMINA: quaestio ab initio valde indeterminate proponebatur; magis specificatur, resolvendo eam ad rationes convenientiae, quae tripartite sunt considerandae: ex parte daemonum, Dei, et hominum 56, 57

I. Ex Parte Daemonum

1. POSSIBILITAS PHYSICA ex daemonum potentia naturali, qua sola inspecta, fortiter suadetur deputatio ista singularis 57, 58

   Ut autem deputatio executioni actuali mandetur, adesse oportet:

   a) SUFFICIENS NUMERUS DAEMONUM, ut singuli singulis hominibus assignari possint; mens Magistri, Petri Pict., et Suarez hac de re; de "tertia parte" angelorum lapsa; quid huc certi statui possit .... 58 - 63

   b) REGIMEN ORDINIS et PRAELATIO INTER DAEMONES; quanta sit eorum unitas moralis .... 63 - 66

2. POSSIBILITAS MORALIS istius deputationis, praesertim ex parte pravae voluntatis daemonum; si possent, proculdubio singulis hominibus tentandis adhaererent; monitum de absoluta daemonum subiectione divinae voluntati .... 66 - 68

Paginae

II. Ex Parte Dei

Nodus totius quaestionis: quomodo se habeat Deus ad hoc, quod singuli daemones singulis hominibus ad malum sollicitandis vacent; duplicem potest dare potentiam, vel positivam vel negativam seu permissivam 68, 69

1. Utrum Deus possit dici ipse POSITIVE facere dictam daemonum deputationem, etiamsi solum hominum bonum intendat: respondetur negative 69, 73

2. Consideratur alternata possibilitas, nempe, quod Deus mere PERMITTAT, ut ipse daemoniorum princeps suos satellites hominibus singulariter deputet; absolute et de solo possibili loquendo, libenter conceditur, sed, rationibus congruentiae perpensis, placet negative respondere, Deum ita de facto agere .... 73 - 77

III. Ex Parte Hominum

Inspiciuntur convenientiae argumenta et

1. QUOAD PUEROS et AMENTES negatur fieri talem daemonum deputationem, ideoque consequenter locum non habet iam ab ipsa nativitate; nec CHRISTUS nec B. M. V. habuit proprium daemonem impugnatorem; iam ex hisce limitationibus universalitas thesis affirmativae corruit 77, 78

2. Etiam QUOAD FIDELES ADULTOS incongruum videtur .... 78 - 80

RECAPITULATIO

Conspectus generalis totius evolutionis huiusce quaestionis .... 81 - 83

Paginae

APPENDIX

I. DE DUPLICI ANGELO IN *PASTORE* HERMAE **85 - 93**

1) Examen Internum Secundi Libri *Pastoris* 85 - 90

2) Hermas influxus extraneos subiit (Gnosticismi, Montanismi, paganum, iudaicum)? .... 90 - 93

II. DUPLEX ANGELUS IN TRADITIONE NON-CHRISTIANA .... 93 - 97

Apud Mahumetanos — Graecos — Iudaeos (Bibliographia specialis pro daemonologia iudaica) .. 93 - 97

Index Nominum 99, 100

BIBLIOGRAPHIA*

CUYCHIUS, HENRICUS,	*Annotationes ad Cassiani Coll. 8 c. 17 et Coll. 13 c. 12,* apud Migne (PL. 50 323-324).
DELRIO, MARTINUS, S. I.,	*Disquisitionum Magicarum,* libri sex in tres tomos distincti, ed. 20a, Venetiis 1755.
ESTIUS, GUIL.,	*In 2 Sententiarum,* I (Neapoli 1720).
GAZZANIGA, PETRUS,	*Praelectiones Theologicae,* IV *de Angelis* (Bassani 1831).
LEPICIER, CARD.,	*Tractatus de Angelis,* 2 voll. (Parisiis, Lethielleux, c. 1908).
MALDONATUS, IOAN.,	*Commentar. in 4 Evangel.,* ed. Raich (Moguntiae 1874); et ap. Migne, XXI, *Cursus Compl. S. Script.* [M. CCSS] (Parisiis 1840-1845).
MIGNE,	PL.: *Patrologia Latina,* ed. Garnier Fratres (Parisiis 1878-1890). PG.: *Patrologia Graeca,* ed. Garnier Fratres (Parisiis).
OSWALD, I. H.,	*Lehre von den Engeln oder Angelologie,* 2te Aufl., Paderborn 1889.
PETAVIUS, DIONYS.,	*Dogmata Theologica,* IV *de Angelis* (Parisiis 1874).
SUAREZ, FRANC.,	*Opera Omnia,* II *de Angelis* (Parisiis 1865).
SYLVIUS, FRANC.,	*In Primam S. Thomae,* I (Antwerpiae 1698).
TANNER, ADAMUS,	*Supplementum Disputationum Theologicarum* (Igolstadii, ap. Eliz. Angermariam, 1620) *disp. 3 de Angelis.*

* Animadvertendum est, nullibi inveniri hanc quaestionem omni ex parte elaboratam, sed presse tantum sub uno aliove respectu a diversis theologis tractata est. Tamen, utilitatis causa hic referuntur illi auctores, qui decursu dissertationis frequentius et breviori titulo citantur.

Quamquam mihi munus ingravet nonnullis,

praesertim ex nostra Pontificia Facultate Theologica,

uberrimas reddendi gratias

pro consilio auxilioque mihi lubenter praestito,

speciali vero modo

ut ex omnibus nominaretur

ADM. REV. P. M. TERENTIUS WHOLIHAN,

amicus meus devotissimus atque confrater amantissimus,

inhaesitanter censeo.

FR. SEBASTIANUS WEBER

Ap. Seminar. S. Antonii,
Rensselaer in N. E.

In festo
Septem Gaudiorum B. M. V.
Die 26a Aug., 1938.

De Singulorum Hominum Daemone Impugnatore

INTRODUCTIO

SPECIALIS est quaestio circa generalem daemonum incursum in homines, utrum singuli homines praeter angelum custodem itidem particularem sibi habeant assignatum daemonem impugnatorem. Cum autem, ex una parte, haud parvi momenti sit ad accuratius daemonum potestatem in singulos homines circumscribendam, ex altera vero parte, quia hucusque a theologis nonnisi obiter occasionaliterque tacta fuit haec quaestio, suppeditari videtur ratio sufficiens ad eam operosius pertractandam. Accedit insuper alia adhuc ratio eaque cuiusdam necessitatis, propterea quod apud diversos theologos, praesertim manualistas, diversitas viget, imo et confusio, quoad quaestionis radices historicas. Deinde, disquisitio ista exinde exoptanda evadit, quia SUAREZ[1] sententiam affirmativam "fere communiter" receptam asseverat, necnon CASAJOANA[2] eamdem modo magis definitivo tamquam communiter receptam a scholasticis post Magistrum Sententiarum contendit, dum, econtra, S. BELLARMINUS,[3] coaevus Suarez, opinionem istam ut "errorem" repudiat, quando tractat de *Pastore* Hermae, qui ei primus patrocinatus est.

Cum doctrina de angelis custodibus de fide sit traditioneque Ecclesiae apprime constanti ac universali suffulta, mirum non est, quod nonnulli ex ea ansam ad inquirendum arripuerunt, utrum quid simile in relatione daemonum ad homines reperire-

---

1. *De Angelis,* 8 21 31; p. 1097.
2. *Disquisitiones Scholastico-Dogmaticae,* IV (Barcinone 1894) n. 272.
3. *De Scriptoribus Ecclesiasticis, Op. Om.,* VI (Neapoli 1862) 18.

tur.[4] Illi vero, quibus sententia de proprio daemone tentatore arrisit, ut par est, traditionem Ecclesiae maxima cum cura pectinarunt, ut fundamentum, quantum possibile, ad istam opinionem opitulandam construerent.

Opus igitur est sedulo inquirendi, quidnam fontes revelationis de hac re contineant, et qualia sint argumenta rationis pro et contra. Propter sententiae affirmativae fautores, primum erit sciscitandum de quibusdam Sacrae Scripturae textibus, quos ipsi in adiutorium invocant. Ut subinde apparebit, suppetiae pro opinione affirmativa nonnisi ex traditione sive patristica sive theologica quaeri possunt, ideoque necesse est accuratius examinentur testimonia, quae huc referre possunt. In hac autem examinatione facienda opportunum, imo, et necessarium videtur aliquot textus ex integro reportare, eo quia quibusdam placet magis exinde exprimere, quam in textu revera inest, necnon quia huiusmodi textus adhuc non sunt in unum collecti. Praeterea, ne ex elencho eiusmodi testimoniorum confusio aliqua gignatur, consultius erit statim fontibus citatis valoris examen et crisin subiungere. Ex traditione vero patristica gressus pondere naturali fit ad posteriorem huius quaestionis apud theologos evolutionem, quae ferme unice in repetita congerie horum illorumve scriptorum ecclesiasticorum dictorum consistit. Hanc propter rationem, ut patebit, quasi tota vis utriusque sententiae

---

4. Curiositatem historicam praebet medii aevi credulitas superstitiosa, cuius quippe fructus fuit daemonomania illo tempore quam maxime divulgata, secundum quam *vel daemones custodes* darentur. Ita nimirum, durante caeremonia sic dicti *ludi bonae societatis* seu congressus nocturni lamiarum, praeses congressus — ipse Lucifer — unicuique strigae particularem assignaret daemonem, (cui nomen Martinetus aut Martinellus), qui ei in omnibus serviret, suam clientulam notificaturus de congressu proxime habituro, eamque illic per aerem delaturus, — breviter, qui omnia suppeditaret, quaecumque desideraret ipsa striga. Vide, e. g. Alphon. a Castro, O. M. reg. Obs., *De Impia Sortilegarum, Maleficarum et Lamiarum Haeresi*, in *Malleo Maleficarum*, II (Lugduni 1669) 2 211. Quodsi quis et ipsissimas minutias de huiusmodi sordido commercio sortilegarum legere vellet, adeat Martinum Delrio, S. I., *Disquisitionum Magicarum*, quod opus, sex tomis compactum, modo ponderatissimo, sicut *Malleus Maleficarum*, praefert omnimoda fabulosa stupendaque de magia naturali, artificiali, daemoniaca, de omnibus speciebus superstitionis, necnon de officio iudicis ac confessoris circa maleficos. Typis vicies apparuit: Moguntiae, Lovanii, Lugduni, Coloniae, Venetiis, ultimo vero Venetiis 1747 et Coloniae 1755.

in argumentis theologicis proferendis consistit; idcirco, morandum aliquantulum erit in huiusmodi rationibus perpendendis.

Etsi investigatio quaestionis secundum S. Scripturam et Traditionem, ex necessitate facti quod inibi paucissimum pro alterutra sententia invenitur, negativa futura sit quoad formam, inquantum argumenta a parte affirmativa conflata vel refelluntur vel valde extenuantur, tamen positiva ex eo quadantenus evadit, quod, destructis vel debilitatis fundamentis et conclusuris sententiae affirmativae, eo ipso magis arguitur opinio negativa. Argumenta vere positiva pro sententia negativa ibi afferentur, ubi quaestio ex professo secundum rationem theologicam exagitabitur. Tunc debilitas opinionis affirmativae clare ostendetur, simulque rationes positivae et sat cogentes in lucem edentur, quibus maxime innititur conclusio nostra: Quamvis sententia affirmativa nec falsa nec omnino improbabilis dici possit, (quod quidem ferme unice *propter auctoritatem eorum dicitur, qui ei patrocinati sunt,* sicut Magister Sententiarum eiusque pedisequi), tamen dicendum videtur, quod, dempto omni fundamento in sacris Litteris, atque nonnisi tenuissimo argumento positivo ex Patribus freta, omnibusque rationibus theologicis *coniuncte* perpensis, opinio illa, qua omni singuloque homini citra angelum stipatorem daemon pariter impugnator et mali sollicitator iam a die nativitatis indesinenter adhaerere dicitur, haud potest rationabiliter sustineri.

CAPUT PRIMUM

ARGUMENTA SCRIPTURISTICA

EX SACRA SCRIPTURA non afferuntur ad sententiam affirmativam tuendam nisi pauci textus iique valde dubiosi.

1) CHRISTIANUS DRUTHMARUS, Corbeiensis monachus saec. 9, commentando Christi verba de puerulis (*Mt.* 18 10): "quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei," ait: "Ex hoc loco et ex aliis invenimus quod unusquisque homo duos angelos habet sibi deputatos a die ortus usque ad diem mortis suae, bonum et malum."[1] Ast, textus iste Matthaei citatur quidem communiter pro doctrina de angelis custodibus, sed nequaquam ex eo sequitur unumquemque hominem habere sibi deputatum angelum malum, eoque magis, iam a die nativitatis. Quaenam autem possent esse alia loca, de quibus Druthmarus loquitur, in sequentibus patebit.

Frequentius citantur duo praesertim loca circa JUDAM TRADITOREM, scil., *Io.* 13 2: "cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Judas," cui refertur etiam illud *Ps.* 108 6: "et diabolus stet a dextris ejus," quod, ait SUAREZ,[2] "de proprio daemone ad illum impugnandum deputato recte intelligitur." Quomodo autem hoc "recte intelligatur" non est admodum facile intelligere. Etenim, quod textum S. Ioannis attinet, ut ex communi commentatorum interpretatione fertur, ipsi diabolo ascribitur pessimum illud consilium Judae Christum tradendi, ut hoc modo demonstraretur, quanta fuerit atro-

1. Christ. Druthmarus, *in Matth.*, c. 39 ad fin. (PL. 106 1409).
2. *De Angelis*, 8 21 30; p. 1097.

citas et indignitas istius perfidae proditionis, cuius nempe tanta fuit enormitas, ut nonnisi ex stimulo diaboli, omnis malitiae patris, originem desumere potuerit. Quodam modo simili in *Act. Apost.* (5 3-4) legitur S. Petrus obiurgasse Ananiam: "Ananias, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? . . . Quare posuisti in corde tuo hanc rem?" Dilucide ergo ex illo loco eruitur moralis Satanae influxus in illo praecise crimine concipiendo complendoque, haud vero Judam habuisse daemonem proprium semper et ab initio secum, sicut pro sententia affirmativa probandum extat. Describitur igitur hic, nedum tentatio diaboli exitu felici in Judam acta, verum etiam omnimoda suiipsius diabolo deditio ex parte Apostoli illius infidelis, qui nempe tam plene sese a Domino avertit, ut plene a Domino deseri atque a diabolo quoque modo possideri mereretur, sicut habetur in inciso paulo infra (v. 27): "Et post buccellam introivit in eum Satanas." "Quibus verbis non affirmatur, Iudam energumenum esse factum, ita ut diabolus per illapsum essentiae introisset in eum (daemon possidens in Scriptura nec diabolus nec satanas unquam denominatur), sed hisce verbis solummodo possessio ethica asseritur, in quantum diabolus vario modo Iudam tentabat ad scelestum opus iamdudum praemeditatum explendum; Iudas vero illis tentationibus non resistebat, sed cor suum tradebat influxui infernalis potestatis. Sic diabolus moraliter in eo habitare dici poterat."[3] In devinctum ergo Iudam, ut in servum sibi plane alligatum, diabolus obtinuit specialem carcerarii potestatem, sicut et in omnes peccatores, qui opera faciunt patris sui diaboli.

Ex dictis statim lucescit sensus alterius textus citati ex *Ps.* 108 6: "Et diabolus stet a dextris eius." Quid simile legitur de Jesu, magno sacerdote, apud *Zach.* 3 1: "et Satan stabat

---

3. Ioannes Smit, *De Daemoniacis in Historia Evangelica* (Romae 1913) 78-79.

a dextris eius ut accusaretur ei." Hic vero de mera accusatione seu oppositione, dum in casu Judae, ut ex contextu liquet, quid plus ingeritur. Si enim consideratur, quod expressio ista de *dextris* saepe saepius in S. Litteris usurpatur ad supremam alicuius potestatem ac vires denotandum, subito patescit sensus illius textus simulque eius connexio cum aliis ex S. Ioanne iam relatis. Hoc bene explicatur a HENRICO CUYCHIO[4]: "... quod dicitur in *Ps.* 108: *Diabolus stet a dextris eius,* non significat Judae traditori singularem aliquem malignum spiritum assignatum fuisse, qui ei assidue fuerit a dextris, sed daemonem (quem in praecedenti hemistichio appellaverat peccatorem, in illis verbis, *Constitue super eum peccatorem*) Judae praevaliturum fuisse. Sic enim constitutus est super illum peccator, sive Satan, quia traditus est auctori omnium scelerum, et is potestatem et imperium in illum accepit. Eadem igitur est et posterioris hemistichii sententia ... daemon praevalebit viribus adversus illum, et dominabitur ei quia dextrae eius praevalebit...." Quod autem hic dicitur de Judae diabolo subiectione, dici quoque potest, ecquidem secundum s. Scripturam, de quolibet peccatore obdurato, cuius a dextris sive super dextram diabolus stat accusator et carcerarius. Attamen, cum haec submissio ratione peccati subsequatur, haudquaquam inde concludere fas est, singulis hominibus singulos daemones modo indesinenti adhaerere impugnatores; quod autem in casu demonstrandum est.

2) Iterum, ex HISTORIA JOB volunt quidam argumentum pro sententia affirmativa adstruere. Ita, e. g., CASSIANUS[5]: "Si autem consideremus et illum qui beatum Job expetiit, apertissime instruemur illum fuisse qui semper insidiatus ei...." Verum quidem est, diabolum extraordinario modo ad Job insultandum accessisse, sed praecise quia extraordinarius fuit modus tentationis non debet insumi tanquam norma pro omni-

4. In *Annotat. ad Cassiani, Coll. 8 et 13* (PL. 50 324).
5. *Collatio 8* (secunda Sereni) c. 17 (PL. 49 750).

bus hominibus. Ast, ex contextu totaque ex narratione potius videtur concludendum, Satanam non semper adfuisse Job. Etenim, in cap. 1 et 2 legitur, quod Satan Domino responderit: "Circuivi terram, et perambulavi eam," cui Dominus dixit: "Numquid considerasti servum meum Job." Insuper, toties quoties diabolus super Job manum extendere voluit, licentiam debuit petere. Videtur igitur dicendum, Satanam non fuisse constanter prope Job, ut eum vexaret, sed potius, postquam permissum Altissimi obtinuerat, eum appropinquabat. Quisnam autem fuerit iste tentator, utrum nempe ipse diabolus et Satanas, qui totum orbem seduxit et una cum angelis suis in terram proiectus fuit (*Apoc.* 12 9), an potius aliquis daemon inferior, non est extra dubitationis aleam, quamvis prior opinio sit probabilior.[6]

Tametsi negandum sit, Job semper secum habuisse proprium daemonem impugnatorem, ESTIUS putat de Job dicendum, quod "nec negandum videtur, quin pro illo tempore fuerit ei Satanas a Deo deputatus ad exercitium."[7] Nihil quidem obstat, quominus quis, si mavult, hanc deputationem pro tempore isto admittat, quamquam, hoc adhuc longe abesse ab admissa sententia de proprio daemone insidiatore Job, eoque magis singulis hominibus, deputato, nemo est qui ignoret.

3) Inter omnia testimonia s. Scripturae maior omnino vis probativa tribuenda videretur verbis Apostoli in *2 Cor.* 12 7: "datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet." Attamen, patroni sententiae affirmativae non audent conclusionem suam ex hoc textu solide corroboratam asserere, propterea quod memores sunt difficilis eiusdem interpretationis. Ita, e. g., MALDONATUS, qui de caetero sententiam affirmativam credibilem opinatur, ita loquitur[8]: "Potest aliquod eius

6. Pro optimo examine casus Job, vide *Dict. Theol. Cath.*, IV (Paris 1898 ss.) 324.
7. Estius, *in 2 Sent.*, d. 11 par. 4; I p. 101.
8. *Comment. in Mt.*, c. 18 v. 10 (ed. Raich I 362; M. XXI CCSS. 864).

rei vestigium in Scriptura notari; nam D. Paulus datum sibi dicit angelum Satanae, qui se colaphizet. Quod et si aliis modis intelligi potest, potest et hoc...." Deinde, eidem interpretationi asciscendus est pariter SUAREZ, qui vero nonnisi titubanter ei patrocinatus est, de dicto textu dicendo: "Et multi putant huiusmodi fuisse satanam, qui ad tentandum Job specialem licentiam petiit."[9] Addi potest, quod ESTIUS,[10] cui de sententia potius negativa persuasum erat, videtur ista Apostoli verba de vero angelo malo exercitante intelligere. Ut ergo cuilibet patet, est quaestio de textu interpretando.

Nunc, inspecta traditione Patrum et theologorum reperitur quippe multitudo sententiarum circa istum "stimulum carnis," quo S. Paulus se colaphizari dixit, sed notandum est, quod explicationes excogitatae quasi omnes, considerando locutionem Apostoli tamquam metaphoram, causam apprime naturalem supponunt. Re quidem vera, duplex habetur metaphora, viz., "stimulus carnis meae" et "angelus Satanae." Merito autem ex adhibita metaphora concluditur rem, de qua loquebatur, Corinthiis plane notam fuisse, etsi nobis penitus sit ignota. Qua de ratione occasio data est variis hypothesibus, quatenus, ut solum communiores sententiae recenseantur, nonnulli supponunt morbum aliquem corporalem, alii aerumnas ab adversariis obsitas, alii adhuc incitamentum concupiscentiae libidinosae, dum aliis demum placet, stimulum istum carnis uti perpetuam memoriam vitae ante conversionem actae explicare. Ut observat R. CORNELY,[11] manifeste constat ex toto contextu, quod de aliqua re magnum causante dolorem agitur; et sicut alibi in S. S. res materiales angeli Dei nuncupantur, ita pariter hoc loco malum obsidens Apostolum appellatur angelus Satanae, cuius voluntati proxime obedit, cum Deus, ut altiorem suum finem

---

9. Suarez, *de Angelis,* 8 21 30; p. 1097.
10. *In 2 Sent.,* d. 11 par. 4; I p. 101.
11. R. Cornely S. J., *Comment. in S. Pauli Epistolas,* III (ed. 2 Parisiis 1909) 323-327.

attingat, id permittat. Restat ergo ex consensu interpretationis traditionalis, S. Paulum ex quadam afflictione dolorosa laborasse, quam *figurative* angelum Satanae vocat, ideoque consequenter nullo modo exinde potest concludi, Apostolum habuisse sibi deputatum daemonem aliquem *personalem,* qui ipsum colaphizaret, "ne magnitudo revelationum extollat" eum, ut ipse eodem loco explicat.

Inspectis textibus illis paucis allatis eorumque sensu magis obvio et naturali exposito, iure meritoque CONCLUDITUR cum GAZZANIGA, quod sententiae affirmativae patroni "fateri coguntur, se perspicuis sacr. Litterarum testimoniis esse destitutos; quae enim afferri possunt, probant dumtaxat, daemones pro sua malitia hominibus perpetuo insidiari, non autem unicuique hominum aliquem individuum comitem adesse malum angelum, aut genium."[12] Si autem ad istam sententiam confirmandam sufficerent textus s. Scripturae de daemonum malitia generaliter inter homines explicata, tam abundanter afferri possent, ut thesis ista uno saltu *de fide* declaranda esset. Cum vero res ita non sit, fatendum est, solam viam ad opinionem affirmativam fulciendam relictam eam esse, quae in traditione Ecclesiae habetur, ad quam igitur exponendam incumbit nunc opus nostrum navare.

---

12. Gazzaniga, *Prael. Theol.,* IV diss. 1 c. 19 n. 299.

CAPUT SECUNDUM

TESTIMONIA EX TRADITIONE

IN TRADITIONE antiqua Ecclesiae perdifficile est hac de re *Patres*, (qui soli sunt testes auctoritativi traditionis), sufficienti numero sufficientique loquelae claritate invenire, ut verum ac legitimum argumentum construi possit; imo, tam difficile est hoc, ut fautores alterius sententiae ad opera apocrypha, si non vel haeretica, necessum habeant recurrere.

Sicuti supra in introductione notatum fuit, boni videtur consilii varios textus hanc circa rem hic illic apportatos maiori integritate referre, non tantummodo ad meliorem conficiendam crisin, verum etiam quia huiusmodi testimonia hucusque nullibi in unum redacta inveniuntur. Ut postea patebit, tota quanta traditio catholica de proprio daemone pro singulis hominibus in libro *Pastore* Hermae fundatur. Testes enim posteriores alicuius momenti sese revocant ad communem istum fontem. Videtur igitur ratio sufficiens, si non vera necessitas, suppeditari, ut textus Hermae eiusque auctoritas fusiori omnino crisi subiiciatur.

1) HERMAS, in cap. 2 sexti mandati,[1] haec habet verba

1. Insumitur textus Codicis Sinaitici (quem invenit et publicavit Tischendorff an. 1862), relatus a Fr. Xav. Funk, *Patres Apostolici,* I (ed. 2 Tubingae 1901) 488. Versio graeca ap. Migne (PG. 2 927-928) est imperfectior, carens aliquibus verbis. Notatu dignum est, *Pastorem* Hermae per multa saecula non esse cognitum nisi in versione latina, quapropter *vulgata* nuncupata, quae ex MS. Vat. critice edita est a Hilgenfeld (Lipsiae 1873) et iterum a von Gebhardt (Lipsiae 1877). Originalis textus graecus, partim genuinus et partim a Simonide, qui eum super Montem Athensem invenit, commentitie transcriptus, publicatus est in bona fide a Rudolpho Anger (1856), ast, fraude posterius deprehensa, iterum emissus est forma germana ab eodem Anger et Dindorf in *Leipziger Repertorium d. deutschen u. ausländischen Literatur* (III 1856 138). Dein, typis identidem impressus est hic genuinus textus graecus et quidem a Dressel (1857, 1863), Hilgenfeld (1866, 1881), Funk (1901), etc. — Vide *Catholic Encycl.*, VII (New York 1910) 270.

angeli in visione loquentis: "Audi nunc, inquit, primum de fide. Duo sunt angeli cum homine, unus iustitiae et unus nequitiae. Quomodo igitur, inquam, Domine, operationes eorum cognoscam, cum ambo angeli mecum habitent?" Et postquam descriptae sunt boni angeli operationes, additur: "Cerne nunc et opera angeli nequitiae. Primum omnium iracundus est et amarus et demens, et opera eius mala sunt et pervertunt servos Dei; cum igitur hic in cor tuum ascenderit, cognosce eum ex operibus eius. . . . " Et adhuc alia mali angeli opera recenset et tandem concludit: "Tu ergo cum cognoveris opera eius, recede ab eo et nihil ei crede, quia opera eius mala sunt et perniciosa servis Dei."

In faciendo EXAMINE EXTERNO huius operis notare iuvat, quod, non obstantibus multis peritorum disquisitionibus, iudicium omni ex parte definitivum adhuc non est prolatum. Communiter tenetur auctorem, laicum aliquem et servum, in primo dimidio saeculi secundi hunc librum moralem, non vero totum simul, conscripsisse. Ipsius autem apud coaevos posterioresque auctoritas nec eadem semper nec constans erat;[2] sufficiat hic, ut brevi tantum elencho quidam notentur. Ita ergo, S. Athanasius et Theodoretus *Pastorem* considerant canonicum; notus porro et approbatus fuit a S. Irenaeo, Clemente Alex., et Origene.[3] S. Hieronymus vero refert librum istum tanquam utilem,

---

2. Habeas omnia "Veterum Testimonia de S. Herma" in unum collecta a Galland (*Veterum Patrum Bibliotheca,* I Venetiis 1765) ap. M. (PG. 2 819-834).

3. *Comment. in Ep. ad Rom.,* X n. 31 (PG. 14 1282), loquendo de c. 16, v. 14, ubi Apostolus commemorat "Hermam," Origenes ait: "Puto tamen quod Hermas iste sit scriptor libelli illius qui *Pastor* appellatur, quae scriptura valde mihi utilis videtur, et ut puto divinitus inspirata. . . . " Ideo sat communiter penes priscas ecclesias graecas *Pastor* ceu liber inspiratus est reputatus, quia iste Hermas a S. Paulo nominatus falso consideratus est ipsius auctor. *Pastor* ergo nonnisi inter libros apocryphos in bono sensu acceptos est relegandus, utilis quidem ad instructionem moralem, minime vero ad doctrinam dogmaticam auctoritative conficiendam. Tamen, in *Fragmento Muratoriano,* legitur: "Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in Urbe Romana Herma conscripsit, sedente cathedra Urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius. Et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in ecclesia populo neque inter Prophetas completum numero, neque inter Apostolos finem temporum potest."

etsi apud latinos ignotum,[4] sed, sicut et Papa Gelasius in concilio 70 episcoporum, eundem inter apocryphos posuit.[5] TERTULLIANUS,[6] etsi qua catholicus librum Hermae approbaverit, factus tamen Montanista, hoc modo est allocutus Papam Callixtum: "Sed cederem tibi, si scriptura Pastoris, quae sola moechos amat, divino instrumento meruisse incidi, si non ab omni concilio Ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha et falsa iudicaretur, adultera et ipsa, et inde patrona sociorum." Demum, sicut notat BARONIUS,[7] a censura ista adversa per Tertullianum testificata posteriores non recesserunt; imo, secundum S. Athanasium Ariani eo libro usi sunt ad haeresim suam tuendam. De praesenti autem quaestione referri potest iudicium S. BELLARMINI, ubi loquitur de *Pastore* Hermae:[8] "Quamvis autem hic liber multa utilia habeat ... habet tamen etiam aliqua noxia ... ut etiam illud de duobus geniis ... singulis hominibus a Deo tributis; quem errorem ex hoc auctore accepit Io. Cassianus ... et ante eum Origenes. ..." Non vero sat constat, quare istam doctrinam "errorem" vocet, utrum nempe simpliciter quia singulis hominibus ascribebatur angelus cum bonus tum malus, an potius quia putat Hermam et angelum malum ab ipso Deo tributum esse dixisse; si autem hoc posterius sit S. Bellarmini mens, dicendum est, talem doctrinam non inveniri ita explicitam in textu *Pastoris*. Hoc idem iudicium S.

---

4. *De Viris Illustribus,* c. 10 (PL. 23 625-6) ait S. Hieronymus: "Herman ... asserunt auctorem libri, qui appellatur *Pastor,* et apud quasdam Graeciae Ecclesias iam publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum veterum usupavere testimonia. Sed apud Latinos pene ignotus est." Fusiorem notitiam affert Eusebius, *Hist. Eccles.,* III c. 3 (PG 20 217-218): "sciendum est eum librum a nonnullis quidem in dubium esse revocatum. Quamobrem inter receptae auctoritatis libros censeri non potest. Ab aliis vero maxime necessarius iudicatur, iis praesertim qui primis religionis nostrae elementis instituendi sunt. Unde etiam in Ecclesiis eum publice legi comperimus, et quosdam ex vetustissimis scriptoribus ipsius testimonio usos fuisse."

5. S. Hieronymus, *In Habacuc,* I c. 1 v. 13-14 (PL. 25 1286), dicit quod "liber ille apocryphus stultitiae condemnandus est," propterea quod *Pastor* Hermae docet stultitiam de angelis custodibus pro reptilibus et aliis animalibus brutis.

6. *De Pudicitia,* c. 10 (PL. 2 1000); vide et c. 20 (PL. 2 1021).

7. *Annal. Eccles.,* II (Lucae 1738) 204 super annum 159.

8. *De Script. Eccles., Op. Om.,* VI (Neapoli 1862) 18.

Bellarmini de valore Hermae circa hanc quaestionem de angelis volunt aliqui iam longe prius apud (S.) PROSPERUM AQ. invenire. Hic enim pro viribus defendendo doctrinam S. Augustini circa gratiam, liberum arbitrium, et praedestinationem scripsit *Librum contra Collatorem,* in quo doctrinam Cassiani energice refellit. Dicit enim ibi,[9] movendo contra *Coll.* 13 c. 12: "Post illud autem nullius auctoritatis testimonium quod disputationi suae de libello Pastoris inseruit, ex quo ostendere voluit, inter boni et mali angeli contrarias suasiones, ita omnem hominem naturali iudicio et propriae discretioni esse commissum. . . ." Verum est quod Prosper sententiam istam de duplici angelo cuilibet homini praesente refert; nihilo tamen secius, *ut ex toto contextu eiusdem eruitur,* hanc praecise opinionem non vult exprobrare, sed potius sese occupat cum doctrina Cassiani (qui enim Semi-Pelagianismo infectus erat), circa gratiam et liberum arbitrium. In hac autem materia ex integro dirimi vult auctoritatem *Pastoris,* sicut patet ex suis verbis "ex quo ostendere voluit. . . ." Caeterum, nihil dicit Prosper de sententia circa duos genios, quam nonnisi obiter commemorat.[10]

Addenda nunc sunt aliqua verbula DE INTERNO CHARACTERE *Pastoris* Hermae. Iam in antecessum notare oportet, quod Hermas in sua praesertim doctrina de angelis bonis et malis iampridem immerito omnino accusatus est, influxum Gnosticismi subiisse. Hoc quidem ultimo dimidio saeculi proxime elapsi critici germanici, Rationalismo laborantes, contenderunt, qui textum originalem nuper inventum et publicatum commentati sunt. Nihilo tamen minus, Hermae *Pastorem* doctrinam substantialiter sanam praebere permulti tam ex antiquis quam ex recentioribus fassi sunt. Praetereundum vero non est, quod secundum Originem ille liber a nonnullis in contemptu habitus fuit,

---

9. Prosper, *Liber contra Collatorem,* c. 13 (PL. 51 247 s.).

10. Ex dictis patet, H. Cuychii iudicium ipsius textus veritati non convenire quando dicit: "D. Prosper quoque in op. adv. 13 Coll. edito, hanc ipsam sententiam de duobus angelis . . . uti falsam reiicit." *Annotat.* (PL. 50 323).

ex quo consequitur eum plenam apud omnes fidem haud esse adeptum; porro S. Hieronymus notat, hoc opus apud latinos ferme ignotum fuisse. Mirum igitur non est, quod tantummodo apud Orientales inveniuntur, qui *Pastoris* doctrinam de angelo malo singulis hominibus praeter angelum custodem assignato subsecuti sunt.

UTILITAS *Pastoris* IN RE MORALI, quidquid sit de indole litteraria, sincera laude admittenda est. Modo enim admodum efficaci proponit atque inculcat conformiter ad scopum suum principalem communes normas practicas ad christiano more vivendum, quantum nempe ad poenitentiam, baptismum, matrimonium, opera caritatis etc. Quoad autem REM DOGMATICAM, iudicium aliquantulum reservatum ferri debet. Enimvero, sicut iam notatum est, inter apocrypha relatus est a Papa Gelasio in concilio 70 episcoporum et, de caetero, universaliter in prisca Ecclesia ut liber canonicus reiectus est. Accedit ratio intrinseca ex eo, quod valde est allegoricus, quatenus doctrinam suam multis parabolis cum visionibus et mandatis intextam ab angelo in forma pastoris apparente collatam refert. In genere ergo dicendum videtur, hunc librum, quantum ex se est, non magnum affert argumentum dogmaticum, nisi inquantum a Patribus Ecclesiae confirmetur.

QUAESTIO AUTEM SPECIALIS de isto textu citato circa prima verba versatur, quae ita sonant: "Audi nunc, inquit, primum DE FIDE." Res enim prorsus inopinata est, quod GAZZANIGA, nimio fervore in sententiae negativae patrocinando arreptus, illam vocem *de fide* (*περὶ τῆς πίστεως*) eodem sensu sumpsit ac terminus ille technicus, quo doctrina ad depositum revelationis pertinens designatur. Dicit enim quoad supra relata verba:[11] "Hermae testimonium, si quidquam valeret, nimium probaret, scilicet hanc doctrinam de duobus con-

11. Gazzaniga, *Prael. Theol.*, IV diss. 1 c. 19 n. 301.

trariis geniis, qui singulis hominibus adstent, pertinere ad fidem." Haec vero interpretatio prorsus est reiicienda. Ex analysi critica contextus verum sensum istius vocabuli optime explicat A. BAUMEISTER.[12] Etenim, vox ista potius trahenda est ad significationem *cognoscere, intelligere,* sicuti ex ipso contextu eruitur; nam de utroque angelo quaerit Hermas "Quomodo ... operationes eorum cognoscam *(γνώσομαι)*, cui angelus "Audi ... et intellige *(σύνιε)* eas," et postea, "Cerne *(ὅρα)* nunc et opera angeli nequitiae ... cognosce eum ex operibus eius. ... Tu ergo cum cognoveris *(ἀπιγνούς)* opera eius, recede ab eo et nihil ei crede *(πίστευε)*." Sequitur exinde, quod significatio exacta tituli in aliis verbis magis explicativis haec est: "Audi, nunc, inquit, primum quod sciendum est de angelis. Duo enim sunt angeli cum homine etc. ..." Etenim, in utroque inciso, relatio Hermae ad angelum sive bonum sive malum per fidem exprimitur, inquantum angelus eum alloquens vult Hermam instruere de praesentia utriusque angeli per respectiva opera alterutrius dignoscenda. Praeterea, significatio *cognoscere* arguitur ex eo, quod angelus praesentiam suam operativam in anima manifestat per *locutionem* et per suggestionem cogitationum affectionumque aut bonarum aut malarum ab Herma caute discernendarum, ita ut cognoscat sitne angelus bonus vel malus. Nam, ut patet, obiectum, ad quod refertur istud vocabulum *πίστις*, est in ordine cognitionis practicae. — Quamvis igitur Hermas non velit hanc doctrinam uti *de fide* credendam proponere, restat inconcussum, verbis literaliter sumptis, eum docere singulis hominibus adesse geminum angelum, bo-

---

12. *Die Ethik des Pastor Hermae* (Freiburg i. B. 1912) p. 79 par. 23: "Bedeutung der πίστις im sechsten Mandat." Notat vero quod "Schon die Konstruktion des Wortes selbst legt den theoretischen Sinn nahe. . . . Der Inhalt des Satzes bezieht sich auf das Verhalten *beiden* Engeln gegenüber. ... Das Verhalten selbst wird beidemal mit πίστις bezeichnet und im zweiten Satzgliede ausdrücklich gesagt, was Hermas bezüglich des bösen Engels *glauben* soll. ..."

num nempe et malum.[13] Scopus autem *Pastoris* non est doctrinam dogmaticam proponere, sed potius certas veritates enuntiare cognoscendas et proponendas in ordine ad vitam moralem rectius vivendam. Totius libri triplex argumentum delineat in *Man. 1:* "Primum omnium, crede quod unus est Deus . . . et time eum, et timens habe abstinentiam . . .": fides, timor, poenitentia, *Man. 6,* 1: "Praeceperam tibi in 1o man., ut custodires fidem et timorem et poenitentiam." Ubique, v. g., *Man. 9,* refert ad salutarem hanc cognitionem sive fidem, uti in *Man. 6,* 2: "Audi, nunc, inquit, primum de fide." Dein, a *Man.* 7 in porro de timore, et in libro tertio de via poenitentiae.

2) Aliud adhuc testimonium antiquissimum, quod in favorem sententiae affirmativae non ab Origene modo citatur, verum et a posterioribus defensoribus, est illud EPISTOLAE BARNABAE dictae, in cuius capite 18 legitur:[14] "Duae sunt viae doctrinae ac voluntatis: altera lucis, altera tenebrarum. Differentia vero multa duarum viarum. Uni siquidem praepositi sunt angeli dei lucem praeferentes, alteri vero angeli satanae. Ac ille quidem dominus est a saeculis et in saecula: hic autem princeps temporis praesentis iniqui." Hic vero textus pro opinione illa affertur, quod singulis hominibus angelus tum bonus tum malus personaliter adhaeret.

Ante omnia convenit animadvertere, hoc scriptum, secundum commune criticorum modernorum iudicium, Barnabae, discipulo S. Pauli, nefas esse attribuere, non obstante traditione antiquissima in contrarium. Enimvero, excessivus allegorismus, negatio sensus literalis, etc., quae inibi proponuntur, haudquaquam conformia dici possunt menti S. Pauli et Barnabae. Videtur autem auctorem fuisse quemdam iudaeum christianum Alexandriae, qui versus finem saeculi primi vel in primis decenniis saeculi secundi scripsit.

---

13. In APPENDICE huiusce operis revolvitur quaestio utrum Hermas revera docuerit duplicem angelum *personalem* singulis hominibus ascisci.

14. Funk, *Patres Apostolici,* I (ed. 2 Tubingae 1901) 88-91.

Quod ad doctrinam textus citati attingit, videtur omnino negandum sententiam de proprio daemone exinde fulciri. Nam, quod in dicto loco proponitur, nihil aliud est quam communis doctrina christiana, iam antea in *Didache* proposita, de duplici via, iustitiae nempe et iniquitatis. Ne una vocula quidem ibi insinuatur, cuilibet homini adhaerere proprium daemonem impugnatorem sed mere perhibetur satanae praelatio super viam tenebrarum. — Et de hoc sat videtur dictum.

3) Logice nunc sequitur testimonium ORIGENIS, qui, auctoritate fretus Hermae et Epistolae Barnabae, indubitanter sententiam affirmativam defensitat. Multis enim in locis commemorat hanc sententiam, quam vero magis secundariam videtur considerare, inquantum eam ibi affert, ubi communem illam de duplici via doctrinam vult illustrare. Hoc patet praesertim in libro *de Principiis,*[15] ubi luctamen, quod adversus potestates tenebrarum gerendum habemus, describit, atque, energice contendendo non omnia peccata instinctu diaboli committi, concedit "quod vero etiam per angelos vel bonos vel malos aliqua humanis cordibus suggerantur," et hoc deinde illustrat citando *Pastorem* Hermae et *Epistolam Barnabae.* Ast, nihil omnino ipse dicit de duplici isto genio, sed potius in aliam partem, de duplici specie cogitationum, bonarum nempe et malarum, de duplici via, lucis scilicet et tenebrarum intendit, quam doctrinam vult praecise affirmare. Haec observatio ex eo videtur colorari, quod apud *Barnabam,* ut vidimus, non proponitur nisi doctrina de duplici via. Hanc ergo doctrinam hoc loco ex professo tradit Origenes, illam vero de duplici angelo solummodo tacite approbat. Unde sequitur, nos non amplecti sententiam GAZZANIGA,[16] qui vult Origenem in interpretando sensum Barnabae ex praeiudicio ad suam opinionem de malo genio homini adhaerente confirmandam decipi potuisse.

---

15. Origenes, *de Principiis* (Περὶ ἀρχῶν) 3 2 (PG. 11 305).
16. *Prael. Theol.,* IV diss. 1 c. 19 n. 304.

Quamquam vero res ita se habeat, utile proculdubio erit aliquid de valore huius operis dicere, cum iste locus maiori frequentia a fautoribus sententiae affirmativae in medium proferatur. Orthodoxia huiusce libri valde sub iudice exagitabatur. Aliquot autem errores in eo inesse, haud negari posse videtur; adiungendum tamen est in favorem Origenis, quod in hoc opere non habetur eius mens definitiva, quia in eo conflando suam profitetur intentionem nonnisi solutiones *hypotheticas* dandi circa aliquas quaestiones, inter quas, quod pro praesenti notatu magis dignum est, eas circa naturam spirituum necnon liberum hominis arbitrium, (in quibus praesertim abundant errores!), recensendae sunt. Maximi vero est momenti, quod Origenes liberum arbitrium concipit quemadmodum aliquam potentiam indefinitam, quae inter bonum et malum vacillat. Huiusmodi autem principii relatio cum doctrina de duplici via neminem effugiet.

Praesto adhuc sunt duo alia loca Origenis, quae, quamvis pro sententia de binis angelis hominibus singulariter deputatis communiter citentur, *per se* nonnisi doctrinam de duplici via deque bonorum angelorum tutela atque malorum insidiis, *sic in genere,* proponunt. Ita, *in Hom. 23 in Josue,*[17] de praesidio angelorum loquendo, dicit: "vel certe illud quod erga homines geri ex Scripturis saepe docuimus, quod et boni angeli adsunt hominibus et contrarii. . . ." Quid omnino simile habet etiam in *Commentario in Ep. ad Rom.*[18] ubi de discrimine carnem inter et spiritum (*Rom.* 8 9) disserendo, ait: "Sunt praeterea (sicut in multis Scripturae locis invenimus) etiam utriusque partis, vel utriusque viae fautores quidam et adiutores angeli. Nam carni concupiscenti adversus spiritum favet diabolus, et angeli eius, et omnes spiritales nequitiae in coelestibus, cuncti-

---

17. *Hom. 23 in Josue,* n. 3 (PG. 12 937).
18. *Comment. in Ep. ad Rom.,* 1 n. 18 (PG. 14 866).

que adversum quos hominibus luctamen est, principatus, et potestates, et mundi huius rectores tenebrarum. Econtrario vero spiritui adversus carnem decertanti, animamque humanam, quae media est, ad se revocare conanti, favent et adiuvant angeli boni. . . ."

Ex dictis autem non licet concludere, Origenem sententiam de malo genio cuilibet assignato ex toto corde amplexum non fuisse. Advertatur enim, quid dicat ubi ex professo de angelis tutoribus disserit: "Neque enim fas est credere, malos angelos suis praeesse provinciis, et bonos non easdem provincias habere permissas. Hoc autem quod de singulis provinciis dicit, puto etiam de universis hominibus generaliter debere credere. Unicuique duo assistunt angeli, alter iustitiae, alter iniquitatis," et repetit doctrinam *Pastoris* de cognitione utriusque angeli ex operibus eiusdem; et subinde proficiscitur: "Quomodo igitur per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor et in singulis dispares esse provinciis, ut sint et boni, sint et mali."[19] Attamen, quantum ad hunc textum, opus est praesertim modum opinativum notare, quo ipse loquitur; dicit enim "puto" singulis hominibus duos assistere angelos, et postea, "opinor" angelos esse in singulis provinciis dispares. Relate ad hoc alterum membrum animadvertendum est, quod Origenes ex praemissa multo minus probata velle demonstrare rem iam magis probatam; nam ex eo, quod mali angeli suis praeesse provinciis dicantur, concludit easdem pariter bonis angelis ascisci. In genere, Origenes tendentiam ostendit, omnibus singulisque rebus, etiam minimis, proprios ascribendi angelos praesides; ita, v. g., in *Hom. 14 in Num.*[20] angelos vult praeponi super bestias terrae, quae doctrina apud alios pariter,[21] speciatim Platonicos,

---

19. Origenes, *Hom. 12 in Luc.* (PG. 13 1829).

20. *Hom. 14 in Num.* (PG. 12 680).

21. Otto Everling, *Die Paulinische Angelologie und Dämonologie* (Göttingen 1888) p. 69 ss., adducit multa documenta ad delineandam traditionem iudaicam de angelis qui singulis rebus creatis praepositi sunt. Ita, p. 73: "Es ist kein Ding auf der Welt, auch nicht ein Kräutlein, über welches nicht ein Engel gesetzt ist. . . ."

invenitur. Iterum, ex eo, quod diversos daemones dicit praeesse diversis vitiis, Origenes videtur insinuare, plures esse daemones singulis hominibus, etsi forse non continue, adhaerentes. — Caeterum, difficile est, Origenem ab exaggeratione in materia de angelis exonerare.

Modo deinde magis determinato eamdem de duplici angelo sententiam proponit in *Hom. 35 in Luc.*[22] in qua eam adhibet ad allegorice explicandum verba Christi apud Lucam (12 58): "Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem." Huc Origenes lectorem refert ad *Pastorem* Hermae, ubi "inveniet cunctis hominibus duos adesse angelos: malum, qui ad perversa exhortatur, et bonum qui ad optima quaeque persuadet. Scribitur alibi, quod assistant homini, sive in bonam, sive in malam partem duplices angeli." Paulo infra, redeundo ad verba Christi, interpretatur adversarium ut diabolum, et dicit: "Semper nobiscum est adversarius.... Semper nobiscum adversarius graditur, numquam nos deserit.... Et unusquisque nostrum secum habet adversarium cohaerentem, cuius opus est ducere nos ad principem ...",[23] ad praesidem nimirum daemonem.[24]

Instar conclusionis pro huiuscemodi expositione mentis Origenis circa hanc quaestionem optimum praebent pauca aliqua verba in opere suo *Contra Celsum,* quod maioris ex eo est momenti, quia mentem ipsius quam maxime maturam ostendit. Loquendo de iuramento Imperatori faciendo, per quod nonnulli daemonem adiurari dicebant, ait:[25] "et hoc modo mori nobis potius est, quam iurare per malum et perfidum dae-

---

22. Origenes, *Hom. 35 in Luc.* (PG. 13 1889-1890).
23. Ibid. (col. 1891).
24. P. Dan. Huetium, *Origeniana,* 2 c. 2 q. 5 n. 30 (PG. 17 881).
25. *Contra Celsum,* 8 n. 65 (PG. 11 1615).

monem, qui persaepe cum homine peccat quem sortitus est, aut etiam plus eo peccat."

Ex omnibus relatis textibus RESUMENDO, extra dubitationis forum videtur positum, quod Origeni reapse persuasum erat singulis hominibus praeter angelum custodem adhaerere et daemonem proprium insidiatorem, eodem modo ac Hermas docuit, quem in hoc ducem sibi associavit. Quae cum ita sint, inspiciendum nunc est, quantum eius testimonium valeat. Imprimis dicendum, auctoritas Origenis in hoc non ita simpliciter dissolvi potest, ut dicatur cum CUYCHIO,[26] quod "Neque movere nos debet Origenis auctoritas, nam in multis passim hallucinatus est," sive cum HURTER:[27] "Caeterum Origenes plura de angelis singularia et abnormia a doctrina catholica habet. . . ."[28] Enimvero, ex eo simpliciter, quod in aliis rebus dissona a communi doctrina proferat,[29] non statim licet vel in hoc puncto Origenem de errore condemnare, vel eo omnem dirimere auctoritatem. Cum enim de re aliqua libere disputanda agatur, considerandum est, anne Origeni in hoc sive rationis argumenta, sive auctoritas aliorum Patrum suppetias ferant. Relate ad primum iam ostensum est, Origenem in sententia

---

26. *Annotat.* (PL. 50 323).

27. *Compendium Theol. Dogm.*, II (Oeniponte 1893) n. 422.

28. Simile iudicium ferunt Gazzaniga (IV diss. 1 c. 19 n. 302) et Lepicier (II 175).

29. Convenit saltem obiter insinuare, quod rationes non desunt expectandi, peracta ulteriori profundiorique investigatione critica, ab Origenis memoria multa obnoxia abiudicatura fore, quae ei nunc in ignominiam attribuuntur. Non est enim obliviscendum, quod Origenes tam immensam scriptorum multitudinem protulit — Epiphanius refert numerum 6000 librorum! — tam indefatigabiliter in germana Ecclesiae doctrina elucidanda defendendaque omnes nervos impendit, idque in tempore quando adhuc non erat magnopere elaborata terminologia perpolita, ideoque consequenter solutiones problematum intricatissimorum, sola sua profundissima eruditione ingenioque incredibili fretus, nonnisi conditionate reddere potuit; admirationis igitur nequaquam est, quodsi spatium unius vitae humanae non sufficeret ad cuncta in systemate omni ex parte logice enucleatum redigendum. Considerato porro influxu latissimo, quem sive inter orientales sive occidentales exercuit, evadit quasi inevitabile, quod multae de eius mente factae fuerint interpretationes falsae. Cavendum ergo, ne ex affinitate nominis *Origenismi* ad consanguinitatem proximam concludatur, modo ut Origeni paternitatem omnium istarum doctrinarum haereticalium ascribatur.

affirmativa de daemone pro singulis hominibus amplectenda, quam ex *Pastore* repetiit, nulla argumenta propria perhibet, quamvis eam ex s. Scriptura erui dicat, imo, quod ex se est, loquela hypothetica seu opinabili utatur. Postea autem videbitur, quantum argumenta ab aliis proposita valeant. Restat igitur nunc videndum, num fortasse inter alios Patres pro ista opinione adstipulatores inveniri possint.

4) LACTANTIUS, qui pariter pro sententia affirmativa invocatur, aliqua huc referentia profert, ubi illam sententiam erroneam proponit, iuxta quam angeli a Deo primitus in custodiam hominum missi, cum iisdem carnaliter peccaverunt. Qui vero ex hac commixtione nati sunt, nec homines nec angeli fuerunt, sed quamdam mediam naturam habentes. Angeli autem peccantes, quia nec in coelum nec in inferos inter daemones *coelestes* recipi potuerunt, remanere super terram coacti sunt, et sublata eorum missione ad homines custodiendos, malitiose inceperunt generi humano insidiari. Deque his dicit Lactantius:[30] "Hi, ut dico, spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, et solatium perditionis suae perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, dolis, erroribus complent; adhaerent enim singulis hominibus, et omnes ostiatim domos occupant ac sibi geniorum nomen assumunt." Ulterius, secundum eum, huiusmodi genii sese corporibus hominum insinuant, occulte in visceribus operantur, citant morbos, terrent somniis animos, et mentes furoribus quatiunt.

Ante omnia animadvertendum est, Lactantium, cui quidem fama immortalis est facundissimi rhetoris, ad theologiam vero quod spectat, non admodum securam minimeque profundam praebere doctrinam; quod quidem in loco citato nitide illustratur. Opinionem enim istam funditus erratam amplectitur, iuxta quam angeli custodes in initio carnaliter cum hominibus com-

30. *Divinae Institutiones,* 2 15 (PL. 6 332).

miscuissent.[31] Praeterea, duo dari genera daemonum, quorum uni ingressus inferni non patescit, vix sustineri potest; nec minus, quod angeli excommunicati ex coelo et inferno hominibus insidiantur ad proprium suum solamen. Denique, quod eiusmodi daemonibus ascribuntur omnia ista mala corporalia, somniorum terriculamenta, etc. etc., haud videtur dignum consideratione.

Quibus considerationibus praemissis, quaeri potest, quisnam promptus erit, ex tali farragine idearum extravagantium tria sola verba excipere ad doctrinam aliquam serio confirmandam? Dicit enim Lactantius de daemonibus istius peculiaris speciei, quod "adhaerent singulis hominibus." Praeterea, etiamsi haec iusta reflexio posthabeatur, adhuc est advertendum, sententiam de proprio uniuscuiusque hominis daemone in dictis verbis, ut iacent, non enuntiari; nam aliud est dicere, daemones singulis hominibus adhaerere, et aliud, singulos adhaerere singulis hominibus in individuo. Etenim, doctrina catholica docet, daemones singulos homines infensare, quia in s. Scriptura et traditione infestatio daemoniaca modo simpliciter universali proponitur. Idcirco, valde paucum videtur Lactantius afferre in favorem sententiae affirmativae.

5) Post Lactantium, ad sententiam affirmativam auctoritatis argumento corroborandam, advocatur TERTULLIANUS, qui secundum Suarez dictae sententiae suffragatus esset. Scribit enim in libro *De Anima*,[32] postquam bona naturalia animae et corporis descripsit: "Quae omnia nativitus animae conlata, idem

---

31. Occasio huiusce sententiae capta est ex *Gen.* 6 2: "videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant," ex qua commixtione geniti sunt gigantes. Nec solus Lactantius hanc tuitus est interpretationem. Caeterum, tale commercium carnale inter spiritus et homines nedum apud paganos, verum etiam communissima approbatione a scriptoribus ecclesiasticis habitum est, et durante medio aevo tantum momentum acquisierat, quod ad eius possibilitatem, imo et realitatem quasi cotidianam defendendam totus apparatus argumentationis theologicae in subsidium subsumptus est. Lugendum ex corde est de istis excessibus ratione illius daemonomaniae undique grassatae exortis!

32. *De Anima*, c. 39 (PL. 2 717-718).

qui in primordiis invidet, nunc quoque obumbrat atque depravat, quominus aut ultro prospiciantur, aut qua oportet administrentur. Cui enim hominum non adhaerebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua nativitatis animas (al. *animae*) aucupabundus, vel qua invitatus, tota illa puerperii superstitione." Dein, depingit quomodo omnes, qui "idololatria obstetrice nascuntur," iampridem ante nativitatem patrocinio circumferantur deorum. Et continuat: "Sic et omnibus genii deputantur, quod daemonum nomen est. Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum."

Attamen, omnino immerito ex hoc loco eruitur, Tertullianum *omnibus singulisque* hominibus iam a nativitate proprium attribuere daemonem; hoc enim cuilibet *totum contextum* legenti patescit. Nam, scopum limitatum sibi praefigere Tertullianum, iam ex eo insinuatur, quod de bonis naturalibus sermocinatur, et quidem praecipue ethnicorum, sicut in ultimis verbis explicite habetur. Praeterea, modo valde energico invehit in mores superstitiosos paganorum, qui, testante S. AUGUSTINO,[33] deorum catervam ad universa puerperii stadia a malis tuenda invocare solebant. Ita, v. g., commentiti sunt, semini virorum praeesse Liberum, foeminarum vero Liberam; pro partu invocabatur Diespiter, Lucina pro parturientibus; Vaticanus autem ad neonatorum os aperiendum, Cumina ad ipsorum cunas protegendas, atque, ut mammam parvulo immulgeat, Rumina ciebatur. Cum autem, secundum Tertullianum, huiusmodi dii perinde sint ac daemonia, facta iam ab ipsius conceptionis exordio tali deputatione deorum, iure meritoque quaerit: "Cui enim hominum non adhaerebit spiritus nequam, ab ipsa etiam nativitatis ianua animas aucupabundus, vel qua invitatus, tota illa puerperii superstitione." Inde autem est, quod ferme omnem nativitatem immundam considerat, "utique ethnicorum," eoque hoc magis, quia statim post repraesentat Christianorum nativitatem

33. *De Civitate Dei,* 4 11 (PL. 41 122).

uti directe oppositam ratione regenerationis baptismalis. Ex dictis vero omnino clarum evadit, nullum prorsus hic haberi pro sententia affirmativa suffragium.

Postea in eodem opere,[34] iterum de variis superstitionibus magicis movendo, quas opera daemoniorum vocat, ad superiorem locum refert, et parenthetice dicit: "Nam, et suggessimus nullum paene hominem carere daemonio, et pluribus notum est daemoniorum quoque opera et immaturas et atroces effici mortes, quas incursibus deputant." Istorum autem locorum omnimoda est identitas. Etenim, hic dicit, quod "*suggessimus* nullum *paene* hominem carere daemonio," dum supra dixerat, quod "nulla *ferme* nativitas munda est." Cum vero hic alter locus cum superiore penitus quoad argumentum et scopum conveniat, posteriorque ad priorem ab ipso Tertulliano referatur, alter indubitanter in sensu prioris debet interpretari. Attamen, hoc non obstante, plane inversum facit SUAREZ. Citando enim Tertullianum in favorem sententiae affirmativae, putat diminutionem per particulam "paene" invectam ex aliqua formidine seu incertitudine causatam fuisse, quae tamen titubatio per praecedentia verba "Cui hominum non adhaerebit etc." tolleretur.[35] Haec autem explicatio, ex falso supposito procedens, quod Tertullianus de *omnibus* hominibus loquatur, iam ex sola textuum comparatione excluditur. Iure ergo concluditur, Tertullianum *nullo modo* sententiae affirmativae, ut iacet, patrocinari.

6) A quibusdam adducitur etiam S. BASILIUS, ex cuius vero scriptis perdifficile est, aliquam expressionem isti sententiae favorabilem expiscari. Ad summum afferri possent, quae habet in suo *Commentario in Isaiam,*[36] ubi explicatius quam Origenes (vide supra p. 21) locum illum S. Lucae (12 58) perpendit, dicendo: "Profecto hic consideres velim *adversarium*

---

34. Tertullianus, *De Anima,* c. 57 (PL. 2 793).
35. Suarez, 8 21 30; p. 1097.
36. *Comment. in Is.,* c. 3 v. 12 (PG. 30 306).

et viam, postea *principem* qui adversario nostro praefectus est. Via quidem, nostra vita est; adversarius vero, virtus est nobis obluctans, vitaeque socia, quae nullas non excogitat insidias, quibus nos a via ad Deum deducente abducat: princeps autem est ipse mundi huius princeps...." Verum etiam vero, per virtutem illam obluctantem, quae vitae socia est, daemonem intendit, sed haudquaquam exinde sequitur, S. Basilium hoc loco docere, unumquemque hominem proprium sibi assignatum habere daemonem, sed potius, ut in comperto est, de adversario totius generis humani, socio huius vitae in oeconomia salutis, loquitur. Secus enim, ad sententiam illam comprobandam, ex omnibus Patribus innumeri erui possent textus, in quibus impugnationem bellumque universale daemonum eorumdemque tentationes subdolissimas summa cum facundia depingunt.

7) Testimonium haud parvi momenti pro sententia affirmativa suppeditat S. GREGORIUS NYSSENUS, qui in opere *de Vita Moysis*[37] rem sat clare enuntiat: "Sermo quidam est, ex paterna traditione fidem habens, qui dicit, natura nostra in peccatum lapsa, Deum non reliquisse miseriam nostram absque patrocinio, sed ab eo angelum aliquem ... constitutum esse ad auxiliandum uniuscuiusque vitae, e contrario autem corruptorem naturae machinari pariter per pravum aliquem et maleficum daemona et inficere vitam hominis; hominem vero inter hos duos medium esse, utroque comitantium finem oppositum ad alterum habente, ipsumque per se efficere uter praevaleat; bono quidem offerente cogitationibus bona virtutis ... altero autem, sordidas delectationes...."

In primis, non potest negari, S. Gregorium et doctrinam de malo angelo homini adhaerente *ex paterna traditione* tradi asseverare; utraque enim pars, cum de bono tum de malo angelo,

37. *De Vita Moysis,* in principio, in *Enchiridion Patristicum,* de Journel (ed. 4 Friburgi B. 1922) n. 1022. — Textui graeco conformior est versio latina hic allata, quam ista alia: "Occultior quaedam traditio, et verus sermo ad nos usque descendit, quo creditur...." (PG. 44 338).

directe a verbo *dicit* dependet. Difficultas autem in hoc est, quod istam doctrinam ex traditione maiorum repetere velit. Nunc, de prima parte relate ad angelum custodem nullum dubium; haec enim doctrina communis apud Patres solideque in s. Scriptura fundata invenitur. Atvero, ut supra ostensum est, doctrina de daemone comite nonnisi penes Hermam atque Origenem (solius Hermae auctoritate innixum) adinventa est. Quomodo ergo S. Gregorius *paternam traditionem* in fidem citare potuerit, non bene comprehenditur. Certum, requisitis pro argumento traditionis in propaedeutica theologica statutis in casu praesenti satisfactum haud dici potest. Idcirco, hanc difficultatem elabi quis cogitaret, dicendo, S. Gregorium nonnisi primam partem, de angelo custode nempe, ex paterna traditione voluisse attestatam; ast, tali interpretationi adversatur interna ratio supra commemorata, quia in ipso quoque textu graeco secundae propositionis dependentia a verbo *dicit (φησι)* nitide statuitur.

Ad ipsius autem textus sensum quod refert, non videtur posse sustineri interpretatio, quam profert GAZZANIGA, secundum quem, agnita S. Gregorii magna in Ecclesia auctoritate eiusque opinata ex traditione comprobatione, citata "verba possunt haud incommode ita explicari, quod princeps daemoniorum conatibus bonorum angelorum contranitatur tentando homines pluribus modis: fortasse etiam certos aliquos malos genios aliquibus tentandis destinando, non autem singulis."[38] Etenim, ex attenti textus inspectione elucet omnimodus parallelismus inter duplicem istam doctrinam; nam, eodem prorsus modo, quo S. Gregorius "ad auxiliandum *uniuscuiusque* vitae" angelum custodem postulat, "corruptorem naturae machinari *pariter*" dicit contra hominem. Insuper, paritas ista adhuc clarius constat ex eo, quod secundam partem de daemone cum verbo "e contrario" introducit. Quod dein de *singulis* hominibus hoc dicit, ex eodem

38. Gazzaniga, IV diss. 1 c. 19 n. 308.

parallelismo consequitur; angeli autem custodes omnibus attribuuntur, ideoque daemones pariter, nisi explicite ponatur aliqua limitatio. Haec autem poni nequit, quia simpliciter de homine deque hominis vita sermocinatur. Nihil aliud ergo est dicendum, nisi quod S. Gregorius Nyssenus sententiam Hermae plane secutus est. Itaque, si auctoritas eius inficienda est, infici debet ex deficiente aliorum Patrum consensu deficientibusque rationibus probativis, ut postea dicetur.

8) Aliquid nunc est dicendum de S. CHRYSOSTOMO, qui pariter pro parte affirmativa immerito refertur. Hic enim, explicando germanam fidei doctrinam de angelis stipatoribus, admonet fideles, ut debitam reverentiam erga eosdem ostendant. "Si ergo, ait, habemus angelos, modeste nos geramus tamquam nobis adsint quidam paedagogi: nam adest etiam daemon."[39] Ex his vero ultimis verbis nonnulli deducunt, secundum mentem S. Chrysostomi unicuique homini proprium daemonem deputari impugnatorem; hoc autem, ut minimum dicatur, est textui vim inferre. Etenim, fideles exhortatur ad debitam pietatem erga angelos tutores, et quidem propter additam rationem, quia daemon adest invigilans et paratissimus ad omnem occasionem arripiendam, ut hominis virtutem labefaciat. Ideo oportet angelicam istam custodiam in magna aestimatione habere, quia ab ea auxilium potissimum contra daemonem est obtinendum. Ex hoc autem non concluditur, unicuique homini adesse particularem aliquem daemonem, qui eum constanter tentet et ad malum sollicitet.

Ex hucusque dictis resolvitur: Sententia, quae unicuique homini specialem daemonem adversarium assignat, ad fundamentum ipsius in traditione quod attinet, nonnisi debili argumento sustinetur. Originem enim ex *Pastore* Hermae ducit, cuius auctoritate innituntur Origenes et S. Gregorius Nyssenus, praeter quos nullus omnino fuit, qui sententiam istam indubitanter

39. S. Chrysostomus, *Hom. 3 in Ep. ad Coloss.*, c. 1 (PG. 62 322).

docuit. Deficiente ergo solido traditionis argumento, mirandum non est, si defensores eiusdem consensum quodammodo universaliorem aliunde construere conati sunt. Quam ob rationem, nunc veniunt consideranda nonnulla testimonia nullius ponderis intrinseci, quae penes unum alterumve auctorem allata conspiciuntur.

9) Itaque, quandoque citatur TESTAMENTUM 12 PATRIARCHARUM, ubi legitur:[40] "Cognoscite igitur, filii mei, quod duo spiritus vacant homini, spiritus veritatis, et spiritus erroris; et medius est spiritus intellectus mentis, cuius est, quo vult inclinare."

Non est praetermittendum, quod hic liber, in quo ultima verba duodecim patriarcharum moriturorum et filios suos alloquentium exhibentur, "nullius auctoris nomine inscriptus, proscribitur ab omnibus, asseriturque eum figmentis, fabulis erroribusque plenum esse, et scaturire mendaciis.... Constat itaque opus illud adulterinum esse, et ab ignoto parente, qui nomen suum edere ausus non est, in vulgus emissum."[41] Tametsi antiquissimum sit, atque proculdubio ab aliquo Christiano conscriptum, nulla quasi auctoritate in re dogmatica gaudet. Porro, quaestione de valore ipsius seposita, adhuc restat dicendum, quod pro sententia affirmativa confirmanda nequaquam inservit. Mere enim statuit, hominem libero arbitrio praeditum inter bonum et malum stare, sicut enuntiatum est in ipsa s. Scriptura: "Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi" (*Eccli.* 15 18); quod principium saepe saepius in Ecclesiastico proponitur, sicut et in *Ps.* 33 15; 36 27. Et haec observatio valet itidem de variis testimoniis iam relatis circa duplicem viam, veritatis nempe et erroris. Dicere etiam ita explicite, spiritum erroris homini vacare, non est singulis hominibus singulos daemones in impugnatores ascribere.

---

40. *Test. 12 Patriarcharum,* 4 (*Test. Judae*) 20 (PG. 2 1082).
41. D. Le Nourry, Dissertatio de eodem opere, ap Migne (PG. 2 1028-9).

10) Aliud eiusdem generis testimonium praebet sic dictum OPUS IMPERFECTUM IN MATTHAEUM, olim S. Ioanni Chrysostomo perperam attributum. Commentando narrationem evangelicam de Christi tentatione, auctor iste ignotus dicit Christum angelos sibi ministrantes dimisisse, ut locus diabolo tentaturo daretur; pari modo, addit, res se habet in omni christiano. "Duo sunt angeli permanentes cum hominibus, scilicet bonus et malus. Quamdiu circa nos est angelus bonus, numquam nos in tentationem potest impellere angelus malus."[42] Angelus namque custos, subiungit, debet se retrahere sive invisibilem reddere, ut diabolus movere possit tentationem, cuius eventum ille a longe expectat.

Hanc autem sententiam doctrinae catholicae aperte contradicere, nemo est, qui negabit. Enimvero, Patres unanimiter angelo custodi munus ascribunt, quod homines ab incursibus diaboli protegat; quomodo autem hoc verificatur, si durante tentatione a parte staret? Falsum pariter est, daemonibus impossibile esse homines tentare, quamdiu adsunt angeli boni. Sequitur ergo, quod hoc testimonium nullius est valoris.

Nec superfluum erit notare in hisce homiliis haeresim arianam passim inveniri aliosque errores nonnullos. Denique, etsi certo non constet, utrum ipse auctor, ut auctoritatem S. Chrysostomi sibi conciliaret, nomen istius magni Doctoris operi apposuerit, an potius postea fuerit adnexum, tamen inconcussum manet, quod nequidem somniari potest, hoc opus S. Chrysostomum patrem habere.

11) Si defensores sententiae affirmativae ad illud recursum non habuissent, nulla adesset ratio disserendi de quodam opere, cui aliqua auctoritas ex nomine S. Augustini apposito quondam addicta erat. Est enim SERMO AD FRATRES IN EREMO,[43] in quo legitur: "Cum vero malum aliquid cogitamus, aut faci-

42. *Opus Imperf. in Mt.,* Hom. 5 ad finem (PG. 56 671).
43. *Sermo ad FF. in Eremo* (PL. 40 1354).

mus, sive parvum, sive magnum, hoc nulli dubium quin malignum angelum hortatorem habeamus, qui super hoc nos gaudens irridet, cum Angelus sanctus tristatur et dolet. Et ideo cum verba otiosa dicimus aut quidquam mali facimus, diabolicum consilium est."

Ast, tempus esset terere hoc testimonium discutere, cum ad summum asserat, diabolum in omnibus actibus malis partem activam habere.[44]

12) Omnibus textibus traditionis sive genuinis sive spuriis ad trutinam revocatis, oportet ad hanc partem rite complendam CASSIANUM adnotare, qui sententiae unicuique homini proprium daemonem assignanti indubie favebat. Breviter, sed omnino clare apud eum[45] habetur ista sententia: "Nam quod unicuique nostrum duo cohaereant angeli, id est bonus ac malus, scriptura testatur. Et de bonis quidem salvator *ne contemnatis,* inquiens, *unum ex pusillis istis: dico enim vobis quod angeli eorum in coelis semper vident faciem patris mei qui in coelis est.* Illud quoque: *immittet angelus domini in circuitu timentium eum et eripiet eos.* Nec non etiam quod in *Actibus Apostolorum* de Petro dicitur, quia *angelus eius est.* De utrisque vero liber *Pastoris* plenissime docet. Si autem consideremus et illum qui beatum Job expetiit, apertissime instruimur illum fuisse, qui semper insidiatus ei numquam eum ad peccatum potuerit incitare, et idcirco potestatem a domino poposcisse, velut qui non virtute illius, sed domini defensione qui illum

---

44. Quoad auctoritatem istorum sermonum sufficit notare Baronium, *Annales Eccles.,* V (Lucae 1739) 536 super an. 382 n. 26, ubi vocat auctorem impostorem, "cum multorum mendaciorum sanctissimum ac doctissimum (i. e., S. Augustinum) constituerit assertorem.... "Ibid., 588 super an. 385 n. 12, quo in loco dicit, quod "frigidus ille fictor... multa deliria, vana et fabulosa sub tanti Patris nomine imprudenter effutiat." Et si quis alia iudicia desiderat, adeat Migne (PL. 40 1233 s.), ubi referuntur, e. g., Lovanienses theologi dicentes sermones illos a quodam semilatino exercitii causa conscriptos esse. Caeterum, ab omnibus tenetur, dictos sermones nulla prorsus gaudere auctoritate, ideoque in praesenti casu merito parvipenduntur.

45. Cassianus, Coll. 8 (2a Sereni) c. 17 ap. *Corpus Scriptorum Eccles. Lat.,* ed. M. Petschenig, XIII (Vindobonae 1886) 233-234; vel Hurter, *Opuscula Patrum,* ser. 2 vol. 3 p. 261; PL. 49 750.

semper protexerit vinceretur. De Juda quoque dicitur, et *diabolus stet a dextris eius.*" Quam parum hoc Cassiani argumentum ex Scriptura valeat, nemo est qui non videt. Nam in assertione de duplici angeli comprobanda, ad malum angelum quod attinet, solummodo casum Job et Judae (*Ps.* 108 6) commemorat, subitoque addit: "De utrisque vero liber *Pastoris* plenissime docet." Textum de Juda ipse S. Petrus (*Acta Ap.* 1 6) citavit: "Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda." Attamen, nihil omnino de daemone unicuique continuo adhaerente ex his duobus textibus potest deduci, sicut probatum est supra (pp. 5-8). Relicta igitur sola auctoritate *Pastoris,* quid novi ad favendum sententiae isti ex Cassiano minime habetur. Iterum autem, in alia collatione Cassiani[46] legitur: "Adiacere autem homini in quamlibet partem arbitrii libertatem etiam liber ille, qui dicitur *Pastoris,* apertissime docet, in quo duo angeli unicuique nostrum adhaerere dicuntur, id est bonus ac malus, in hominis vero optione consistere, ut eligat quem sequatur." Notare iuvat Cassiano placere doctrinam de duplici angelo per modum unius "probare," dum Hermas, econtra, qui "de utrisque . . . plenissime docet," principio de gemino angelo statuto, characterem et opera tum boni tum mali angeli successive describit.

Ex hisce paucis verbis certo constat, Cassianum eiusmodi sententiae de duplici angelo singulos homines comitante subscripsisse. Si autem sciscitatur, quomodo ad eam amplectendam pervenerit, posset coniectura, probabilitate non carente, respondere, quod eam a monachis aegyptiacis receperit, apud quos per multos annos commoratus erat. Enimvero, ex una parte, *Pastor* Hermae penes illos abs dubio bene cognoscebatur, dum secundum S. Hieronymum ferme ignotus erat apud latinos, et, ex alia parte, huiusmodi *Collationes* nihil aliud sunt, nisi re-

46. Coll. 13 c. 12, *CSEL.,* s. c. XVII, 380-381; Hurter, ib., p. 426; PL. 49 929.

lationes ex colloquiis, quae cum supradictis monachis habuit Cassianus.

13) Doctrinam de duplici angelo magis apud Graecos divulgatam fuisse, arguitur ulterius ex testimonio cuiusdam monachi Laurae S. Sabae (saeculi 7), nomine ANTIOCHI, qui in aliqua sua homilia[47] scribit: "Duo enim angeli dati sunt homini assessores: unus quidem iustitiae amantissimus, alter vero malitiae omnis incentor malignissimus." Et sicut Hermas, quomodo alterutrius dignoscenda sint opera, explanat; ita, angelus malus "acerrimae est bilis, . . . amarulentus ac stolidus . . . et conceptiones animi malignae omnes hoc incentore accenduntur." Tenet ergo Antiochus, ut ex textu isto eruendum videtur, praeter angelum custodem pariter angelum malum hominem constanter aucupare, atque, quod logice affine est, omnes actus malos ab eodem originem trahere.

In hac epocha praescholastica recensendus est etiam S. BEDA,[48] ex quo sententiae affirmativae praesidium asciscere vult MALDONATUS.[49] Ast, in dicto loco Beda sermocinatur *unice* de angelis tutelaribus, et nequidem una vocula opinionem de proprio daemone commemorat.

14) Discrimine hucusque acta sunt argumenta, qualia ex traditione ecclesiastica fautores sententiae affirmativae adducunt. Auctoritatem exinde haustam haud magnam esse existimandam conscii isti, ad TRADITIONEM GENTILIUM etiam provocare non dubitarunt. Cum autem hic minoris sit momenti, nimiaque esset divagatio, non inquiritur ex professo de ista traditione paganorum. Talis disquisitio ut fiat, exoptandum est, quia ad daemonologiam antiquorum populorum illuminandam summopere inserviret. Attamen, hic sinatur exprimi suspicio, quod dicta traditio de daemone speciali unicuique hominum adhaerente non tam universalis et constans fuerit, ac commu-

47. *Hom. 61* (PG. 89 1615-1618).
48. *Super Acta Apostolorum,* c. 12 (PL. 92 973).
49. *In Mt.* (ed. Raich I 362; M. *CCSS.* XXI 864).

niter fertur. Ut unum exemplum perhibeatur, SUAREZ,[50] eam commemorando, citat PLUTARCHI *Vitam Bruti,* in qua autem unicus locus hac de re iste est,[51] ubi insopitum Brutum describit. Una nocte, enarrat Plutarchus, Brutus, solus in tentorio suo vigilans, quemdam intrantem audivit, "respiciensque ad ostium, terribilem conspexit et monstruosam inusitatae staturae corporis atque metuendae imaginem, tacite sibi adstantis. Ausus tamen percontari: Quisnam, ait, hominum deorumve aut cuius rei causa ad nos venis? Respondit ei imago: Tuus sum, o Brute, malus genius, apud Philippos me videbis. Tamen ille nihil territus, Videbo, inquit." Summo autem mane se contulit Brutus, explicationis postulandae causa, ad Cassium, qui de secta Epicurea adversum Brutum solebat disputare. Iste autem dedit responsum: "Neque vero probabile est genios vel esse, vel hominum formam habere vocemque aut vim quamdam ad nos pertinentem." In promptu autem est, ex hac narratione non potest concludi, Plutarchum hoc loco docere sententiam de proprio daemone unicuique deputato.

Id unum adhuc quadantenus innuere utile videtur, quod nempe cultus spirituum quam maxime dilatatus erat apud gentiles. Ita de genere aliquo spirituum bonorum, qui hominum custodiam prosequantur, omnino constans erat traditio. Ad daemonologiam vero quod refert, communis penes eos persuasio erat, daemonia — certum quoddam genus spirituum praesertim inferiorum — maximum influxum in rebus humanis exercere, ita quidem, ut cuncti morbi sive physici sive psychici a daemonibus causari, imo, cum ipsis identificari, crederentur. Mirum igitur non est, quod apud Chaldaeos, Hebraeos,[52] Graecos,

---

50. *De Angelis,* 8 21 30; p. 1097.

51. *Vita Bruti,* nn. 36-37, *Vitae* II (ed. Theod. Doehner, Parisiis 1847) 1192-1193.

52. Vide Maldonatum, *in Mt.* 18 10 (ed. Raich I 362; M. CCSS. XXI 864). — Imo, et secundum scriptores Talmudicos unusquisque homo daemoniorum mille a sinistris, a dextris vero decem millia haberet! Grünzig, in *Jüdisches Lexikon,* II (Berlin 1928) 17.

et Romanos, sicut et postea apud Mahumetanos,[53] traditio quaedam extitisse dicatur, secundum quam unicuique homini adhaereret geminus genius, bonus videlicet et malus.[54] Labente autem antiquitate maximam invenimus evolutionem daemonismi apud Graecos,[55] praesertim inter Platonicos, quorum elucubrationes influxum non parvum in scriptores ecclesiasticos praecipue orientales exercuisse, haud videtur negandum.[56] Ipse autem Plato admisit solummodo spiritus bonos hominum custodes.

Quodsi talis traditio reapse admittenda sit, quoad ipsius valorem exurgere potest aliqua difficultas. Enimvero, quando est sermo de doctrina circa bonorum angelorum custodiam confirmanda, eadem gentilium traditio in argumentum adducitur. Si autem in hac parte valor aliquis ei addicitur, quare non pariter, quando de malo genio movetur? Attamen, res statim

53. "Tradition attributes to Mohammed the statement that every man has an angel and a demon appointed to attend him. The former guides him toward goodness, while the latter leads him to evil (*Mishkat,* i. ch. 3)" *The Jewish Encyclopedia,* IV (New York and London 1903) 521. "Nach einem *hadit* (vermittelt von ibn Mas'ud) soll der Prophet Mohammed gesagt haben: 'Jedem Menschen ist ein Engel und ein Dämon beigegeben.' Selbst der Prophet hatte einen *ginn,* der ihn stets verfolgte, aber angeblich durch Gottes Güte zum Islam übertrat, und von nun an den Propheten hütete," notat Taufik Canaan (Dr. Med. Jerusalem), *Dämonenglaube Im Lande der Bibel,* Leipzig 1929, p. 3.

54. Pro hoc referuntur, v. g., Orpheus, Empedocles, Servius, Plutarchus, etc. Cfr. Alexandrum ab Alexandro, *Geniales Dies* (Francofurti, ap. C. Marnium et Io. Aubrium, 1591) 6 c. 4 p. 325, et Laur. Janssens, *Summa Theologica,* VI *de Angelis* (Friburgi B. 1905) 978.

55. Suarez (8 21 30; p. 1097), volendo sententiam affirmativam apud Tertullianum invenire, refert huius verba in c. 39 *de Anima* (PL. 2 718), ubi agit de assignatione deorum apud gentiles. Dicit Tertullianus: "Sic igitur et Socratem puerum adhuc spiritus daemoniacus invenit. Sic et omnibus genii deputantur, quod daemonum nomen est." Ut patet, iuxta Tertullianum Socrates spiritum malum habuit; quo modo et Suarez videtur rem intelligere. Revera, "de daemonio Socratis multa in utramque partem disputata sunt omni aevo. Socrates, ... a vi quadam haud aspectabili, quod δαιμόνιον dixit, se moveri, moneri, pelli, trahi, ab vitae discriminibus revocari, et accedente disciplinae alumno doceri, quid de eo expectandum sit, de actionum suarum eventu, non necessario, sed plane fortuito, certiorem fieri, non una vice, sed constanter, variis occasionibus, audientibus amicis, inimicis, testabatur...." Ita, Io. G. Mayer, *Historia Diaboli* (ed. 2 Tubingae, Cotta, 1780) 44. Pro ipsismet verbis Socratis vide eius *Apologiam,* I 31. Attamen, hodiedum "apud Socratem per daemonium, quod monendo sese in homine manifestat, conscientiam esse designatam, iam conveniunt auctores," dicit Io. Smit, *De Daemoniacis in Historia Evangelica* (Romae, Inst. Bibl., 1913) 164 nota 2. Quidquid sit de doctrina Socratis, minus refert ad praesentem quaestionem, cum hic non dentur, nisi quaedam indicia generalia.

56. Confer Huetium, *Origeniana,* 2 c. 2 q. 5 n. 31 (PG. 17 882).

clarescit, si consideratur, quod huiusmodi traditionibus per se nullum pondus accedit in rebus theologicis comprobandis; non possunt ergo in argumentum afferri, nisi constet, eas in aliquo fonte revelationis quodammodo radicari. Optime de eis iudicat GAZZANIGA:[57] "Eas recepimus, ubi de Angelis bonis ad custodiam hominum destinatis sermo erat, quia sacris Litteris, sanctisque Patribus consentiunt; easdem autem repudiare debemus, quando aut tutissimis nostrae sanctae religionis oraculis aperte repugnant: aut saltem eorum auctoritate minime fulciuntur."

Vidimus autem nullum haberi huiusce rei vestigium in ipsa s. Scriptura, et, quod ad argumentum traditionis Ecclesiae spectat, ex suprarelato elencho testimoniorum eorumdemque crisi rite concluditur, appellationem ad *traditionem* immerito fieri, quia vera traditio non est. Excepto enim S. Gregorio Nysseno, nullus citari potest Pater Ecclesiae, qui indubitanter tenet, singulis hominibus adesse etiam daemonem impugnatorem. Qui caeteroquin de hac re locuti sunt, nonnisi scriptorum ecclesiasticorum nomine insigniti sunt, minorique auctoritate. Ratio autem potissima in eo est, quod tota haec series affirmationum de proprio daemone cuilibet homini assignato unice super *Pastorem* Hermae conditur. Nunc, hoc Hermae testimonium, utique vetustissimum, haud praebere doctrinam *apostolicam* ex eo elucet, quod omnes illi Patres, qui tam frequenter et tam fuse de custodia bonorum angelorum tractarunt, ne una quidem vocula dictam sententiam de proprio daemone commemorant. Nequicquam scripta eorum perleguntur, praesertim ubi de angelorum stipatorum munere in daemonum incursibus repellendis — ubi enim logicissimum esset de speciali daemone tentatore sermocinari — ita ut pleno alveo effluat haec conclusio: DE ISTA SENTENTIA PATRES TENENT ALTUM

57. *Prael. Theol.*, IV diss. 1 c. 19 n. 309.

SILENTIUM, IMO, PATRES OCCIDENTALES SILENTIUM ALTISSIMUM. Praeterea, si series ista testimoniorum antiquorum vera traditio diceretur, observandum est, eam universalitate et firmitate funditus carere. Etenim, quoad firmitatem, Origenes modo potius hypothetico suffragatur, dum S. Gregorius Nyssenus, sicut postea Cassianus, mere ex Herma repetit. Quoad universalitatem vero non est praetermittendum, nullum qualemcumque apud Patres occidentales inveniri sententiae affirmativae fautorem, quod maximi est momenti, cum incredibile videatur, eos talem rem ignorasse, si reapse in traditione apostolica fundata fuisset, sicut ex *Pastore* Hermae deducere volunt adversarii. Accedit et alia ratio iam insinuata, quod nempe apud omnes istos Patres tam frequens fit de angelis custodibus deque daemonibus impugnatoribus sermo.[58]

Quae cum ita sint, videtur sat rationabilis et fundata conclusio, qua opinioni de singulis daemonibus singulis hominibus assignatis omne prorsus fundamentum in s. Scriptura abiudicatur, atque ei ex traditione Ecclesiae nonnisi tenuissimum conceditur argumentum.

---

58. Ad quaestionem de proprio daemone unicuique permanenter adhaerente quodammodo pertinet doctrina haeresis Massalianorum sive Messalianitarum seu Euchitarum secundum quam cuncti homines iam a nativitate in se habere diabolum sola oratione per modum sputi expellendum. Vide *Realencykl. f. prot. Theol. u. Kirche,* Herzog-Hauck (Leipzig 1903) XII 662. Messalianitae damnati et anathematizati sunt a Concilio Ephesino (431): Mansi, *Concilia,* IV 1477; XII 1025.

CAPUT TERTIUM

THEOLOGICA QUAESTIONIS EVOLUTIO

INQUIRERE nunc oportet, quid de hac re theologi scholastici senserint. Ut in sequentibus videbitur, propugnatores sententiae affirmativae multos theologos eosque, qui maxima gaudent auctoritate, in suam partem adducere possunt, sed videbitur pariter, quantum hoc pondus materiale testimoniorum valeat. Ad hoc melius ostendendum censetur opportunum ordine logico sequi, quatenus primum perhibetur, quomodo posteriores theologi textum Petri Lombardi simpliciter decantent, et deinde indagabitur, quonam ex fonte desumpserit Magister, ita ut tandem aliquando in lucem ponatur, quod tota traditio scholastica de sententia affirmativa in alio non consistit, quam in pura puta repetitione eaque verbali communis cuiusdam fontis, cuiusque fundamentum S. Gregorius Magnus false putabatur.

1) MAGISTER,[1] ostendendo inter daemones pariter vigere praelationem, subdit: "Habent quoque secundum modum scientiae maioris vel minoris, praelationes alias maiores vel minores. Quidam enim uni provinciae, alii uni homini, aliqui etiam uni vitio praesunt." In hoc, quod daemones non hominibus modo, sed etiam provinciis ex analogia cum angelis stipatoribus praeesse autumat, cum Origene plane convenit, ut videri potest supra p. 20. Dein, quod praelationem daemonum in eo etiam consistere contenditur, quod diversi diversis vitiis praesunt, doc-

1. 2 *Sent.*, d. 6 c. 4; I (Quaracchi 1916) 331; (PL. 192 663).

trina est, praeterquam Origenis, quorumdam aliorum antiquorum praesertim graecorum.[2]

De daemone singulis hominibus deputato fusius disserit inferius:[3] "Gregorius quoque dicit (*al.* ait) quod quisque unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, et unum malum ad exercitium habet. Cum enim omnes angeli boni nostrum bonum velint, communiterque saluti omnium studeant, ille tamen, qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum: sicut legitur de angelo Tobiae et de angelo Petri in *Act. Apost.* Similiter et mali angeli cum desiderent malum hominum, magis tamen hominem ad malum incitat, et ad nocendum fortius instat ille qui ad exercitium eius deputatus est."

Nullum ergo dubium est, quin Magister sententiam de proprio daemone exercitatore approbaverit, cuiusque consequentia fuit, quod haec doctrina haud parvum favorem apud posteriores, auctoritate Magistri fretos, invenit.

2) Penes posteriores, praesertim Magistri Sententiarum commentatores, nihil novum invenitur nihilque proprium. BANDINUS[4] clare sed compendiose doctrinam sui Magistri proponit. PETRUS PICTAVIENSIS[5] nihil facit, nisi verbis aliqualiter diversis eandem sententiam repetere. ALEXANDER HALENSIS[6] mere dicit, homini post lapsum datum fuisse bonum angelum in custodiam, malum vero ad exercitium; negat autem Christum habuisse daemonem exercitatorem. Etsi sententiae affirmativae non det suum suffragium explicitum, tamen videtur reapse loqui de malo angelo singulis hominibus deputato. CAESARIUS HEISTERBACENSIS,[7] qui c. 1240-1250 obiit, pariter

---

2. Confer Petavium, *de Angelis,* 2 c. 7 n. 13; IV 35.
3. Magister, *2 Sent., d.* 11; I (Quaracchi 1916) 353; (PL. 192 673).
4. *In 2 Sent.,* d. 11 (PL. 192 1039).
5. *In 2 Sent.,* c. 6 (PL. 211 955).
6. *Summa Theol.,* 2 tr. 3 sect. 2 q. 3 tit. 2 mem. 3 c. 4 a. 1 et 2; II (Quaracchi 1928) 269b-272.
7. *Dialogus Miraculorum,* 5 1; textus eiusque expositio ap. Roskoff, *Geschichte des Teufels,* 2 Bde. I (Leipzig 1869) 317.

opinatus est, unumquemque hominem duplicem habere angelum, bonum nempe et malum. S. THOMAS, postquam textum illum Magistri retulit, verbis "Et unum malum ad exercitium" difficultatem opponit eique respondet:[8] "Videtur iniuste agi cum homine: quia daemones multo potentiores sunt hominibus. . . . " Nihil omnino habet, ex quo secure deduci posset, eum approbasse sententiam Magistri, nisi ex eo, quod dictae obiectioni responsum dat. Secundum LEPICIER,[9] Angelicus hoc mere refert ex aliis ad solvendam dubitationem, et iuxta SYLVIUM[10] "B. Thomas opinionem illam recitat, non tamen approbat." Videtur simpliciter dicendum, D. Thomam mentem suam hac de re non aperuisse, vel, ad summum, tacite approbasse sententiam Magistri. S. BONAVENTURA,[11] B. SCOTUS,[12] et RICARDUS DE MEDIAVILLA[13] mere referunt Magistri textum, nihil prorsus dicendo in suo commentario.

3) Natura rei expetit, ut nunc retrogrediamur ad disquirendum DE GENESI TEXTUS MAGISTRI, quem posteriores in auctoritatem ducunt. Enimvero, a priori supponenda est aliqualis continuitas in traditione huiusce doctrinae, eoque magis quia ab ipso Magistro auctoritas citatur *Gregorii.* Nunc, omnibus notum est, quanta sit Petri Lombardi a Hugone de S. Victore dependentia, et hoc praecise in huiusmodi libris Sententiarum, qui sua vice ipsemet textus pro scholis evaserunt. Certum est enim, Lombardum cognovisse Hugonem eiusque assidue legisse opus *de Sacramentis,* ex quo plurima mutuavit in

---

8. S. Thomas, *2 Sent.,* d. 11 in expositione 1ae part. textus post a. 5.
9. *De Angelis,* II 175.
10. Sylvius, *in 2am,* q. 113 a. 4 concl. 5; I 611.
11. S. Bonaventura, *2 Sent.,* d. 11 c. 1; II (Quaracchi 1885) 274a.—Obiter posset notari, quod secundum Seraphicum Doctorem ad uniuscuiusque mortem "assistunt et spiritus bonus et spiritus malus, unus vel plures" ad disputandum de sorte animae moribundi. Haec doctrina non quidem identica est, sed quodammodo analoga cum illa de gemino angelo, bono et malo, hominem durante vita comitante; semper est iste parallelismus, quo spiritus bonus spiritui malo opponitur, dum in medio sistit homo eiusque anima vel salvanda vel damnanda. (*4 Sent.,* d. 20 p. 1 a. un. q. 5; IV 525b.)
12. *2 Sent.,* d. 11 (Lugduni 1639).
13. *4 Sent.,* d. 11 a. 1 q. 1 in concl.; (Brixiae 1591) 135.

suis libris Sent. conscribendis. Quoad praesentem autem materiam et alia videtur suppeditari ratio, eo quia verba Magistri supra citata integre apud Hugonem inveniuntur; adhuc plus, sicut notant editores *Quaracchi,*[14] totum "hoc primum caput excerptum est ex Hugone, *Summa Sententiarum,* tr. 2 c. 6."[15] Re quidem vera, tanta perspicitur dependentia Magistri ab ista *Summa Sententiarum,* ut quidam contendere voluerit, ipsum Magistrum esse eiusdem auctorem, sed postea sapienter retractavit. Haec autem *Sum. Sent.* semper et ad praesentem usque diem Hugoni de S. Victore ascribebatur; tamen recenter contra hanc thesim traditionalem, quam adhuc non spernenda argumenta externa suffulciunt, haud pauci insurrexerunt, quorum ex argumentis internis dubium admodum grave de paternitate Hugonis gignitur.[16] Utcumque vero sit, facilitatis causa in sequentibus relinquitur nomen Hugonis, utpote verus auctor non est determinatus. Caeterum quoad hanc praecise quaestionem parum refert, cum ipse Hugo de S. Victore in genuino opere *de Sacramentis* sententiam de binis angelis indubie tueatur; nam, quaerendo utrum plures angeli remanserint, quam ceciderunt, redarguit adversarios: "Quomodo ergo verum est quod dicitur unusquisque hominum duos angelos habere deputatos sibi, unum malum ad impugnationem, et unum bonum ad defensionem... ?"[17]

Attamen, his omnibus enuntiatis, quaestioni de fonte Magistri finis minime apponitur, sed ulterius inquirere oportet propter dubium et difficultatem circa *Sum. Sent.* ex eo ortam,

---

14. Notula ad relatum textum Magistri apud S. Bonaventuram, *2 Sent.,* d. 11; II 274.

15. Textus apud Migne (PL. 176 88).

16. Ita, e. g., Grabmann, *Geschichte der kath. Theol.* (Freiburg i. B. 1933) 37 dicit, quod ista *Summa Sententiarum* "vielleicht einem sonst nicht bekannten Magister Hugo Parisiensis angehört." Iterum, iuxta Angers, "Hiernach wird man sich mit dem Gedanken vertraut machen müssen, dass Hugo der Verfasser der S. S. nicht ist." B. Fr. Anders, "Die *Summa Sententiarum* — kein Werk des Hugos von S. Viktor," in *Der Katholik,* XL (Mainz 1909) 113. Atque subiungit, quod Magister Otho S. Victoris et familiaris Hugonis nostri "wird aller Wahrscheinlichkeit nach der Verfasser der S. S. sein" (ibid., 117).

17. Hugo de S. Vict., *De Sacramentis,* 1 5 c. 31 (PL. 176 261).

quia primi quattuor tractatus eiusdem libri pura puta transcriptio alius operis cuiusdam anterioris theologi esse videntur. Cum autem solutio huiusce dubii, si quae dari possit, non solum in praesenti quaestione magni sit momenti, verum etiam pro historia primae epochae Scholasticismi, utile et opportunum apparet, aliquantulum in hoc consistere.

Sub nomine HILDEBERTI, Cenomanensis Episcopi, traditur *Tractatus Theologicus*,[18] constans capitibus 41, in quo fuse de virtutibus, Trinitate, Dei attributis, Incarnatione, creatione angelorum et hominis, necnon breviter de Sacramentis in genere disseritur. Attamen, cum *Summa Sententiarum* usque ad tr. 4 inclusive[19] nihil aliud sit, quam verbalis propemodum transcriptio huiuscemodi *Tractatus Theologici*, premit omnino, ut de relatione inter utrumque opus inquiratur: nam, et ipse textus de duplici angelo, quem Magister ex Hugone hausisse dicitur, totidem verbis apud Hildebertum invenitur. Etenim, non modo hic particularis locus, sed, ut iam dictum, totus tractatus Hildeberti ab ipsomet exordio usque ad ultima verba in codice incompleto Lyrano a Migne relato ferme cum absoluta identitate in *Summa Sent.* Hugoni ascripta incorporatur, salva hac differentia, quod apud hunc quaedam loca quadantenus elaboratiora habentur, necnon divisione magis scientifica materia hic illic disponitur. Quae identitas magni momenti est quoad codicem Lyranum defectivum, qui enim ad cap. 41 (*De 10 praeceptis seu de lege scripta*) extendit, cuius ultima verba haec sunt: "quae ad dilectionem proximi referuntur." Curiose omnino MIGNE[20] hic ponit notam, quod ista verba in codicis ultima ultimae paginae linea apposita expectare faciunt paginam sequentem "quae deest et quam aliae probabiliter secutae fuerant ad tractatus integritatem; quod, ut ex praecedentibus coniici potest, nonnisi ad magnum legentium, et vel etiam ipsius

18. PL. 171 1067-1150.
19. PL. 176 42-126.
20. PL. 171 1150.

Catholicae doctrinae contigit dispendium." Atvero, si Hildeberti opus et *Summa Sent.* iuxtaponantur, videbitur statim, quod supranotata identitas solum tunc cessat quando cessat textus Hildeberti, cuius ultima verba penes auctorem *Summae Sent.* ultima non sunt sed media, ita quidem ut continuitate funditus logica et ininterrupta expositio quaestionis adhuc aliquas paginas prosequatur usque ad expletum tractatum 4 de sacramentis in genere et praeceptis divinis.[21] Nexus tam intimus est, consecutio tam naturalis, ut cum securitate concludi possit, qui incompletum textum Hildeberti completum velit videre, ad *Summam Sent.* recurrat sufficiens est; ideo non bene dicitur "magnum legentium, et . . . Catholicae doctrinae . . . dispendium."

Restat adhuc sciscitandum, num iste *Tractatus Theologicus* sub nomine Hildeberti et *Summa Sent.* Hugoni de S. Victore ascita unum idemque sit opus, mereque in diversis codicibus redactum, an revera originaliter diversa opera, sicut videtur. Quaestio sat difficilis, cuius resolutio in praesenti non attentatur, sed viris, quibus sunt ingenium, experientia, et auctoritas, decidenda relinquitur. Si autem ut distincta sunt consideranda, prouti in praesenti revera habentur,[22] tunc sinatur notari, quod Hugo, post expletum tr. 4, cuius ultima pars perditam conclusionem operis Hildeberti logice suppleret, de Sacramentis in specie prosequitur disserere, tantum quidem ut coniiciendi ansa praebeatur, quod *Summa Sent.* nihil sit aliud, quam elaboratio et continuatio *Tractatus Theologici* Hildeberti. Et hoc eo magis, quia sub nomine huius non traditur ullum opus de Sacramentis in specie, dempto speciali opusculo de Sacramento altaris alia occasione conscripto.

Ad supradictorum complementum, consulendum ducitur adiungere rationem temporis, quae in hac difficultate enodanda

---

21. PL. 176 121.
22. *Tract. Theol.* Hildeberto cenom. tribuit atque ab opere Hugonis distinguit Hurter in *Compend. Theol. Dogm.*, II (Oeniponte 1893) n. 422.

maximi est momenti. Hildebertus, ex cuius *Tractatu Theologico* satis superque mutuasse Robertum Pullum et ipsum Magistrum Sententiarum solidis rationibus coniicitur, factus est scholiarcha Cenomanensis c. 1087; potuit hunc tractatum elaborasse Cluniaci c. 1084, quo tempore illi duo adhuc iuvenes erant. Imo, videtur Hildebertus hoc opus et ipse iuvenis c. 25 annorum (?) composuisse. Certum est ipsum c. 1133 obiisse, dum Petrus Lombardus an. 1160 mortuus est (*Libros Sent.* 1150-1152 scripsit), Hugo autem an. 1141. Idcirco, chronologia invisa, nulla ratio vetat, quominus Hugo et Lombardus ab Hildeberto materiam transcripserint.[23]

AD QUAESTIONEM DE DUPLICI ANGELO iterum ex professo arripiendam, consideranda venit IPSA DOCTRINA HILDEBERTI. Quia autem ex internis indiciis ad investigandam dependentiam inter Magistrum, Hugonem, et Hildebertum necessarium est, refertur subito integrum incisum.

"Gregorius etiam dicit quod quisque habet unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, unum malum ad exercitandum. Cum enim boni angeli desiderant bonum nostrum, et communiter saluti omnium studeant, ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter ad bonum hortatur. Sicut legimus de angelo Tobiae, de angelo Petri in *Actibus Apost.* Similiter et mali angeli cum desiderent malum omnium, tamen magis infestat eum malus angelus qui permissus est ei ad tentandum; sed hoc dubium nobis est, nec de Scriptura habemus determinatum."[24]

Ante omnia oportet ultima verba ponderari. Attendendum est, quod Hildebertus verba "sed hoc dubium nobis est" directe facit a praecedentibus dependere; hoc patet praesertim ex particula "sed," quae oppositionem ad antea dicta exprimit. Protinus autem continuat: "Utrum vero pluribus unus datus sit

23. Cfr. *Monitum* in *Tract. Theol.* Hildeberti ap. M. (PL. 171 1066 s.).
24. Hildebertus, *Tract. Theol.*, c. 22 (PL. 171 1115).

ad custodiam, an singuli singulis," quod quippe nova quaestio videtur ratione particulae "vero." Ex textu ergo concluditur, Hildebertum sententiam de proprio daemone tentatore uti dubiam et in s. Scriptura non determinatam habere. Attamen, Hugo eumdem textum referendo separationem exactam facit, inquantum partem "sed hoc dubium ..." non ad praecedentia refert, sed ad sequentia, ita ut novum caput incipiatur: "Sed hoc dubium est nec de Scriptura habemus determinatum utrum pluribus etc." Lombardus autem verba illa "Sed hoc dubium ..." omnino a parte relinquit, atque sequentem quaestionem tamquam novum caput aperit, et de ea fusius quam illi disputat. Videtur ergo adesse quaedam progressiva evolutio ab Hildeberto per Hugonem ad Magistrum.

Interdepententia autem ista maxime ex comparatione trium textuum elucet. Ast, iam in antecessum est observandum, eos quoad substantiam omnino correspondere; differentia ergo nonnisi in accidentalibus inveniri potest, quae tamen ad aliquam conclusionem ducere valet, eo quia verba huiusce textus tam exacte ac constanter conformant, ut inferri debeat, unum ab alio non ex auditu sed *ex scripto* materiam istam desumpsisse. Ut autem comparatio textuum expediatur, partes in quibus diversitas etiam minima detegi potest, modo parallelo ponuntur et quidem hoc modo:

Hil. et *Hug.* —	Gregorius etiam dicit....
Mag. —	Gregorius quoque dicit (*al.* ait)....
Hil. et *Hug.* —	quod quisque habet unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, (et) unum malum ad exercitandum.
Mag. —	quod quisque unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, et unum malum ad exercitium habet.
Hil. —	Cum enim boni angeli desiderent bonum nostrum,
Hug. —	Cum enim omnes boni angeli desiderent bonum nostrum,
Mag. —	Cum enim omnes angeli boni nostrum bonum velint,

Hil. et *Hug.* — et communiter saluti omnium studeant....
Mag. — communiterque saluti omnium studeant....
Hil. — eum specialiter ad bonum hortatur....
Hug. — eum potius ad bonum hortatur....
Mag. — eum specialiter hortatur ad bonum....
Hil. et *Hug.* — Similiter et mali angeli cum desiderent malum omnium,
Mag. — Similiter et mali angeli cum desiderent malum hominum,
Hil. — tamen magis infestat eum malus angelus,
Hug. — tamen magis incitat eum malus angelus,
Mag. — magis tamen hominem ad malum incitat, et ad nocendum fortius instat ille,
Hil. et *Hug.* — qui permissus est ei ad tentandum....
Mag. — qui ad exercitium eius deputatus est....

Ex hocce examine materiali patet, maiorem esse similitudinem inter Hildebertum et Hugonem, quam inter alterutrum et Magistrum. Illa identitas ferme absoluta inter duos priores, quia non tantum in hoc loco, sed etiam per totum tractatum, ut iam dictum est, persistit, suspicionem parit, quod de opere fortassis unius eiusdemque auctoris agatur. Sin minus, dicendum est auctorem *Summae Sent.,* sive Hugo de S. Victore sit, sive alius, tractatum Hildeberti transcripsisse. Quoad Magistrum autem impossibile est definitivo modo assignare fontem, quo usus est; utrum scilicet alterutrum, an utrumque ad manum habuerit; tamen materialiter parum refert, cum textus *Summae Sent.* identicus fere sit ac littera Hildeberti. Denique, Magistro hoc proprium competit, quod fontem suum explicatiori commentario ampliavit.

4) Superest adhuc inquirendum, quisnam sit iste "GREGORIUS," ex cuius auctoritate in locis citatis dicta sententia de duplici angelo refertur. Quaestio haec facilitatis causa consulte ad textum Hildeberto attributum coarctatur, cum vetustior sit, et posteriorum fons videatur. Attamen, extra dubitationis aleam positum est, auctorem re vera S. Gregorium Magnum citare voluisse; hoc namque ex multiplici interno indicio atque ex unanimi intellectu commentatorum deducitur. Qui

enim totum Hildeberti tractatum perlegit, statim videt duos praesertim esse Patres ab auctore frequentius invocatos, S. Augustinum nempe et S. Gregorium M. Citationes autem ex priore Patre exactae sunt omnes, dempta forsitan una sola. Deinde, ad Gregorium quod attinet, idem omnino videtur dicendum. Ad rem illustrandam sufficiant quaedam exempla. Itaque, Hildebertus in c. 1 bis citat Gregorium, et quidem hoc modo: "Gregorius in homilia quadam. . . . Item ibidem. . . ."[25] Hugo autem in loco correspondente[26] plus dicit: "Gregorius homilia tertia. . . . Item in Dialogo. . . ." Hic, MIGNE[27] ad priorem citationem Hildeberti refert lectorem ad S. Gregorii *Hom. 16* sed erronee. Enimvero, materia, quae in hac duplici ex Gregorio citatione exponitur, in eiusdem *Hom. 26 in Evang.* invenitur,[28] quippe quantum ad substantiam et quasi ad verba, etsi ordine aliquantulum diverso disposita. Hugo igitur duplici sua citatione errat, (etenim nec primus locus est *Hom. 3,* nec secundus alter quam prior); econtra, Hildebertus cum sua citatione indefinita erroris argui nequit. — Ulterius ab Hildeberto citatur S. Gregorius M. in cc. 2, 8, 12, etc.

Diligentia Hildeberti in Patribus citandis adhuc in c. 22, ubi praesens quaestio de duplici angelo movetur, nitide sustentatur, simulque difficultatem gignit. Siquidem, in principio capitis doctrinam de ordinibus missioneque angelorum exponit, atque nomina Michaelis, Gabrielis, et Raphaelis explanat. Quin nominatim citetur, haec pars indubie a S. Gregorio mutuatur, et merito ad hunc locum MIGNE citat Gregorii *Hom. 34 in Evang.,* in quo loco eadem omnino doctrina invenitur.[29] Antequam autem de inciso circa duplicem angelum agatur, quod pariter ex S. Gregorio M. credebatur extractum, convenit ad tertiam eiusdem Patris citationem in hoc c. 22 Hildeberti re-

---

25. *Tract. Theol.,* c. 1 (PL. 171 1069).
26. *Summa Sent.,* tr. 1 c. 2 (PL. 176 44).
27. PL. 171 1069.
28. PL. 76 1202.
29. PL. 76 1250-1251.

ferre. Ad finem versus legitur: "Gregorius in libro Dialogorum: Quid est quod ibi nesciant (i. e., angeli), ubi scientem omnia sciunt?", quod idem habet Hugo. Ista autem verba parum diversa, revera apud S. Gregorium M. habentur[30] ideoque recte citatur.

Nunc est ad medium caput accedendum, ubi Hildebertus scribit: "Gregorius etiam dicit quod quisque habet unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, unum malum ad exercitandum...." Quod autem vere vult S. Gregorium M. citare, iam ex vocabulo "etiam" patet, quod aperte supponit Gregorium iam citatum fuisse; et reipsa, ut iam ostensum est, pars immediate praecedens de ordinibus missioneque angelorum ex S. Gregorio M. hausta est. Pro hoc loco de duplici angelo MIGNE refert in nota "D. Greg. IV, *in Job.*, xxv, et xxxix, *in Job.* xv," ubi vero incassum quaeritur subiecta materia. Idem omnino est dicendum de nota, quam ponunt editores *Quaracchi* ad hanc citationem Gregorii apud Magistrum;[31] referunt enim ad S. Gregorium, *IV Moral.*, c. 29,[32] ubi autem solummodo de angelis custodibus agitur, qui hominibus et iumentis praesunt. Editores operum S. Thomae[33] ad hanc eandem citationem ex Gregorio penes Magistrum hanc ponunt notam ex editione P. Nicolai: "Ex illo quidem refert Hugo de S. Victore in ... *2 Summa Sententiarum,* c. 9, quamvis in Gregorio non occurrat: fictitieque prius velut ex hom. 34 in Evang. indicabatur ad marginem. Sed ex lib. *2 Mor.,* c. 16, analogice colligi potest, ubi non tantum Deo ministrare dicuntur boni angeli *qui adiuvent* (quasi pars dextera) sed et mali *qui probent,* vel molestent ac exerceant (velut sinistra)." Atvero, etsi huiusce observationis prima pars vera sit, pars altera, quod "ex lib. *2 Mor.,* c. 16, analogice colligi potest," sustineri nequit, et videtur ex

30. *2 Moral.,* c. 3 *in 1 Job* (PL. 75 556).
31. *4 Libri Sent.,* 2 d. 11; I (Quaracchi 1916) p. 354 nota 3.
32. PL. 75 665s.
33. S. Thomae, *Opera Omnia,* VI (Parmae 1856) 476.

falso supposito procedere. Enimvero, etiamsi recte praesupponatur, istam citationem Gregorii esse exactam, nihilominus a priori loquendo falsa esse posset, ideoque si, facto diligenti examine doctrinae S. Gregorii M., inveniri non potest, non debet aliquis Gregorii textus huic remote forte similis indebita violentia ad talem sensum torqueri. Ita vero reapse fieri videtur. Gregorius namque in loco, quem dicti editores adducere volunt,[34] textum *Job* 1 1: "Quadam die cum venissent filii Dei coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan" commentatur, eumque intelligit de angelis bonis in adiutorium hominum positis, et de malis ad probationem ipsorum deputatis; hos autem partem sinistram, illos vero dexteram vocat, adducendo *3 Reg.* 22 19 ss. de Domino super solium cum exercitu a dextris et sinistris. Uti contextum Gregorii legenti patet, non enuntiatur aliud, quam communis doctrina de parte angelorum in oeconomia humana sic in generali: boni adiuvant homines, eos vero probant mali. Nihil prorsus dicit, imo nequidem a longe insinuat, quod unicuique homini daemon in exercitium adsit.

Nimis porro non videtur ex loco citato S. Gregorii contrarium ascribere, quodsi vere de deputatione angelorum bonorum malorumque *in particulari* loqui voluerit. Nam, in 1. c. *3 Reg.* sermo est de quodam angelo, qui sese ad decipiendum Achaz praesentavit his verbis: "Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius," quem spiritum Gregorius intelligit esse daemonem. Si autem, supposita sententia de proprio daemone impugnatore, Achaz et prophetis eius iam ascitus fuerit spiritus nequam, quomodo potuit ille dicere "Egrediar et ero spiritus mendax . . . " ? Insuper, legatur tota Gregorii doctrina de angelorum versus homines ministerio, et videbitur, eum multoties de deputatione eorum singulis hominibus loqui, sed ne una quidem vocula talem adscriptionem daemonibus attri-

34. *2 Moral.*, c. 20 *in 1 Job* (PL. 75 572 s.)

buere; imo eam excludere videtur, ubi diaboli infestantis cohibitionem per angelos custodes describit.[35]

Solutio difficultatis de ista Hildeberti citatione "Gregorius etiam dicit," quamvis nonisi hypothetice proponi queat, facilis tamen videtur. Hic approbandum est, quod dicit SYLVIUS:[36] "Magistrum non significare, quem Gregorium velit intelligere: Apud Gregorium autem Magnum nihil eiusmodi habetur, sed bene apud Gregorium Nyss. tr. *de Vita Moysis. . . .*" Quibus vero omnibus perpensis, proponitur tandem per modum hypothesis, quod Hildebertus (vel qui primus textum illum redegit), vere Gregorium Magnum citare intenderit, sed exinde deceptus fuerit, quia accipiendo ex *Florilegiis* vel aliorum relatione (sicut et fecisse in aliis suis ex S. Gregorio citationibus ratione diversitatis materialis supponi debet), illud, quod in veritate S. Gregorium Nyssenum patrem habebat, et forte sensim sine sensu sub mero nomine Gregorii ferebatur, tamquam doctrinam S. Gregorii Magni susceperit, atque in opus suum incorporaverit.

5) Quoniam de statu huiusce quaestionis penes primaevos Scholasticos sat iam videtur dictum, gressus nunc fieri potest ad ULTERIOREM REI INVESTIGATIONEM apud posteriores describendam. Primum autem huc animadvertendum est, quod apud posteriores commentatores pro prima vice apparet in hac quaestione aliqua speculatio ex ratione theologica. Verum etiam vero, sat exigua invenitur notitia, eo quia nullibi profundius et ex professo res haec est investigata; namque, quando de angelis custodibus erat tractandum, obiter tantummodo, sive per modum scholii, dictum est aliquid de proprio daemone insidiatore unicuique adhaerente. Plures contenti erant principaliores textus traditionis referre, sed nonnulli hanc vel illam convenientiae rationem sive pro sive contra in medium attulerunt. Ne autem moles dissertationis nimium augmentetur,

35. *2 Moral.*, c. 4 (PL 75 646).
36. *In Primam S. Thomae,* q. 113 a. 4 concl. 5 ad fin.; I 611.

pro satis habeatur, ut quaedam nomina utriusque partis patronorum brevi catalogo referantur. Enimvero, mens diversorum in decursu tractatus, praesertim vero in sequentibus, explicatius aperitur.

Affirmantem modo inconditionato et inhaesitante, unumquemque hominem praeter angelum custodem etiam proprium daemonem impugnatorem habere sibi indesinenter deputatum, ne unum quidem videtur posse inveniri.[37] Et hoc mirum non est, inspecto omnimodo silentio s. Scripturae, necnon tenuissimo traditionis patristicae argumento. Qui autem in partem affirmativam plus minusve propendent, nonnisi ancipites adhaerent, sicuti ex eorum modo loquendi apparet: *minus certum* sed *credibile est* (Maldonatus, l. c., supra p. 8), *valde credibile* est (Suarez, l. c. supra p. 5), *verisimile est* (Gregorius de Valentia[38] et Casajoana, l. c. supra p. 1), *non omnino incredibile* est (Tanner, l. c. infra p. 79), *longe minorem habet certitudinem aut probabilitatem* (Alardus Gazaeus),[39] *haud paucis placuit* (Petavius, l. c. n. 8, supra p. 40), improbabile non est (Scheeben),[40] *fere communiter receptum est* (Suarez, l. c. supra p. 5), *communiter receptum a scholasticis post Magistrum* (Casajoana, l. c. supra p. 1), etc. VASQUEZ, admittendo, quod "non eodem modo certum est" singulos homines habere particularem aliquem daemonem sicut et angelum custodem, votum autem suum conditionate dat. Dicit enim:[41] "si numerus sufficiens ad hoc mansit in hoc aere caliginoso, ego non dubitarem, supremum daemonem sollicitum esse in assignando singulis

---

37. Ast, verba notare convenit, quae habet Bannez, *In Primam,* q. 113 a. 2 ult. dub.: utrum singulis hominibus duo adsint angeli, bonus et malus: "Respondetur affirmative quod docet D. Thomas, *2 Sent.,* d. 11 q. 2 a. 5 in c. . . ." *Scholastica Comment.,* II (Duaci 1614) 544. Attamen, alii commentatores communiter in hac interpretatione Angelici non suffragantur, ut videri potest supra p. 41.

38. *In Primam D. Thomae,* disp. 3 q. 6 punct. 4; I (Lugduni 1609) 1296.

39. *Comment. in Collat. Cassiani* (PL. 49 749).

40. *Handbuch d. kath. Dogmatik,* II (Freiburg i. B. 1878 et 1933) 677.

41. *Vasquez, in Primam S. Thomae,* disp. 245. c. 2; II (Lugduni 1631) 534.

hominibus singulos oppugnatores," sicut Deus in assignando custodes. Etsi autem, subdit, daemones sive in aere sive in inferno eodem modo crucientur, "dicendum tamen non est, tot daemones ex inferno ad nos mitti; sed ab existentibus in hoc aere homines oppugnari." Haec autem difficultas de numero sufficiente mox considerabitur.

Dum istius sententiae fautores ad summum titubanter loquuntur, patroni oppositae opinionis econtra responsum negativum inhaesitanter proferunt. Ita, e. g., CUYCHIUS, putando Prosperum Cassiani sententiam de gemino angelo uti falsam habuisse,[42] hoc iudicium approbat, atque addit: "Nec mirum: nam neque necesse fuit duos angelos nobis deputari, neque congruum aut conveniens. . . ."[43] Post eum S. BELLARMINUS, sicut supra p. 13 notatum est, illam sententiam "errorem" vocat, quem Cassianus ex Hermae *Pastore* excepit. ESTIUS[44] autem, qui hanc quaestionem praesertim ex rationibus theologicis intimius quam alii perscrutatur, iudicium aliquantulum mitius reddit, dicendo quod "incertum est: immo valde probabile non ita esse," singulis datum esse proprium daemonem, quam vero opinionem, subiungit, "non esse reiiciendam, ut impiam aut sanae doctrinae contrariam; quamquam nec ut vera recipi posse videtur. . . , " et tandem concludit, sententiam illam "magis ad fabulas falsarum religionum pertinere, quam in doctrina christiana solidum habere fundamentum." Quo in iudicio eum secutus est SYLVIUS:[45] "Haec tamen sententia nullum habet solidum fundamentum . . . sed potius ortum habere videtur ab errore gentilium qui duos genios cuique homini assignabant." GAZZANIGA[46] sententiae negativae energice patrocinatur, sed non tradit nisi principaliores veteris traditionis textus, quibus sat amplum dat responsum. Demum, ut ex hodiernis

42. Confer notam supra p. 14.
43. Cuychius, *Annotat.* PL. 50 323).
44. *In 2 Sent.,* d. 11 par. 4; I 101.
45. *In Primam,* q. 113 a. 4 in fine concl. 5; I 611.
46. IV diss. 1 c. 19 nn. 295-309.

aliquis citetur, LEPICIER suam mentem hisce verbis enuntiat:[47] "Utrum sicut cuilibet homini angelus custos deputatur, ita etiam singulus ei daemon assignetur? — Resp. Negative, loquendo de huiusmodi assignatione ex parte Dei, aut etiam de vera deputatione ex parte diaboli. — Ratio est quia talis sententia omni caret fundamento in S. Scriptura et Patribus nec aliunde orta fuisse videtur, nisi ex superstitionibus gentilium, unicuique hominum duos genios assignantium."

Tandem, posset obiter observari, quantum curiosum sit, quod sententia, iuxta quam unicuique homini proprius daemon oppugnator et tentator deputaretur, maiorem non obtinuerit favorem versus medii aevi finem. Notum est enim, quomodo exaggerata ista credulitas de daemonum maximo influxu super gesta cotidiana hominum ferme universaliter grassata fuerit, ita ut tritum illud effatum "ubique daemon" suam videatur habuisse iustificationem. Quae autem apud plebem firmiter acceptata erant de strigimagorum quasi illimitata potestate ope daemonum futura praenuntiandi, maleficia vel venefica vel amatoria patrandi, daemones in quaedam vasa concludendi, omnimodos morbos infinitis incantationibus immittendi, sese aliosque in formas alienas hirci, capri, cati, muscae, etc. transmutandi, itinera per aerem corporaliter brevissimoque tempore conficiendi, excitandi tonitrua ac grandina, corpus omni iniuriae invulnerabile reddendi, infantes sola fascinatione interficiendi, ut postea coquerentur necnon comederentur, infinitaque alia ridiculosa id genus daemonomaniae, pariter a plurimis daemonographis magno apparatu scientifico tractabantur, sicuti ex immensa litteratura medievali conspicitur. Quidquid mirum ac praeter cursum ordinarium rerum apparebat, statim diabolo ascribebatur; imo, et ipsi doctissimi viri sive antiqui sive recentiores uti Aristoteles, Albertus Magnus, Rogerus Baconus, et praesertim Gerbertus seu Sylvester Papa II, pro magis et sub

---

47. *De Angelis,* II 175.

diaboli influxu habebantur. Mirum est, dico, quod sententia de daemone cuique homini indesinenter adhaerente non fuerit labente medio aevo latius diffusa.

AD RECAPITULANDUM evolutionem posteriorem huiusce quaestionis apud Scholasticos, sufficit iterum in mentem vocare, quod commentatores Magistri Sententiarum opinionem de daemone exercitatore ex ipso repetierunt, dum ipse Magister pro fonte sive Hugonem sive Hildebertum habuit; qui autem eorum primus hanc sententiam propugnavit, auctoritate S. Gregorii Magni eam munitam falso credidit, quoniam apud eumdem Patrem non habetur. Deinde, nonnisi saeculo decimosexto ad eamdem sententiam sive refellendam sive suffulciendam inceperunt theologi convenientiae theologicae rationes excogitare, alii quippe alias, quas autem nunc omnes ad trutinam expedit revocare.

CAPUT QUARTUM

ARGUMENTA RATIONIS THEOLOGICAE

EX OMNIBUS testimoniis in partem affirmativam hucusque adductis, hoc praecipue non est praetereundum, quod nimirum thesis ista iam ab initio valde indeterminate proponebatur. Dicebatur enim simpliciter, duos angelos homini unicuique adstare sive vacare; quomodo autem hoc fieret, nullibi explicatum est. Solus S. Gregorius Nyssenus distinctionem facit, assignationem angeli custodis Deo ascribendo, sed daemonis insidiatoris potius diabolo corruptori naturae, ut videri potest supra p. 27. Hildebertus, Hugo, et Magister eiusque pedisequi[1] utramque deputationem ipsi Deo videntur attribuere: angeli boni ad custodiam, daemonis vero ad exercitium. Attamen, quantum ad causam efficientem huiusce deputationis singulorum daemonum impugnatorum duplex perhibetur possibilitas: vel Deus dicatur causa principalis et daemones tantum instrumentales, vel ipse daemoniorum princeps ponatur causa principalis deputans suos inferiores, Deo tantum permittente. Quae quaestio in sequentibus exagitabitur.

Ostensum iam est, quomodo ex s. Scriptura et traditione suppetiae nonnisi exiguae ad sententiam affirmativam solido cum fundamento adstruendam afferri possint; equidem ad summum videtur concludi ad aliqualem probabilitatem. Ast vero, cum de re aliqua moveatur, quae unice a libera Dei voluntate

1. Dicunt enim, cuique deputatum esse unum bonum angelum ad custodiam et unum malum ad exercitium. Cum enim angelus custos a Deo deputetur, videntur isti intelligere, ratione paritatis, quam trahunt, a Deo assignari etiam daemonem ad exercitium.

pendet, haec nobis non aliunde, quam ex fontibus revelationis, innotescere potest. Ratio autem sola *ipsum factum* demonstrare haud quit, — quod quidem de ambabus sententiis pari modo valet — ideoque de mera possibilitate probabilitateque sermo esse potest. Quaestio igitur ad rationes theologicas, convenientiae quippe, resolvitur, quae autem tripartite considerari possunt: ex parte Dei, ex parte daemonum, et demum ex parte hominum. Attamen, ut processus logice fiat, consulendum videtur, ut quam primum de possibilitate *ex parte daemonum* sermocinetur, et quidem de possibilitate physica, qua parte absoluta, via patebit ad moralem possibilitatem invisendam, circa quam maximi momenti est *Dei* voluntas permissiva. His demum consideratis principiis activis (daemonibus et Deo), restabit adhuc de passivis agendum inquantum sciscitetur, anne congruum sit *ex parte hominum,* ut singulis eorum proprius daemon mali incitator deputetur.

I. EX PARTE DAEMONUM

Possibile esse singulis hominibus singulos daemones impugnatores deputari, non est cur dubitetur, si consideratur 1) horum **Potestas Naturalis** una cum possibilitate reali eamdem hominibus applicandi. Daemones namque sunt spiritus puri, natura prorsus excellenti praediti, intellectu ac voluntate hominum longe perfectiori praepollentes, utpote incorporei, substantia quidem boni a Deo creati, sed facti mali per propriam culpam, post quam, etsi dona omnia naturalia quoad substantiam integra remanserint, obnubilatio necnon obcaecatio intellectus, simulque voluntatis contumacia et confirmatio in malo subsecutae sunt. Praeterea, adest eis omnimoda possibilitas accedendi ad homines tentandos, sicut ex ipsa s. Scriptura plenissime constat. Daemones enim in eodem loco, ubi sunt homines viatores, pervagantur, nempe in hoc mundo, seu, exactius, *in hoc aere*

(*Eph.* 2 2), sive *in coelestibus* (*Eph.* 6 12).[2] Quod autem eis facile sit homines appropinquare, sequitur iam ex hoc, quod in loco sunt per contactum virtutis, atque ratione angelicae naturae de uno loco in alium velocissime transire possunt.

Data tali naturae perfectione, adhuc expetitur ad dictam deputationem rite exequendam, ut daemonum sit sufficiens numerus necnon ordo subordinationis. a) Quaestionem **De Numero** difficillimam esse, fatentur omnes, adeo quidem, ut definitivo modo veraque certitudine haud resolvi possit. Ante omnia est notandum, quod Hildebertus et auctor *Summae Sententiarum* quaestionem moverunt, utrum pluribus hominibus datus sit unus angelus ad custodiam, an singuli singulis. MAGISTER vero ulterius progreditur, et, simul de daemonibus impugnatoribus quaerendo, difficultatem fusius pertractat. Ideo "dici oportet, ait, unum eumdemque angelum bonum, vel malum, pluribus hominibus deputari ad custodiam, vel exercitium," quia, "cum electi tot sint quot et boni angeli sunt, plures constat esse omnes simul bonos et malos homines, quam boni angeli sint, et cum tot sint electi quot angeli boni, et angeli boni plures sint quam mali, pluresque sint homines mali quam boni, non est ambigendum plures esse bonos homines quam sint mali angeli, et plures esse malos homines quam sint mali angeli vel boni angeli."[3] Singulas autem praemissas minime probat, sicut et PETRUS PICTAVIENSIS, qui rem brevius, simplicius, et clarius proponit, sic arguendo:[4] "plures sunt mali homines quam boni angeli," quia quot sunt boni homines, tot sunt et

2. Ad rem textus S. Pauli in *Ep. ad Eph.* (2 2): "aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae. . . ." Pro examine huius textus quantum ad doctrinam paulinam de loco, in quo daemones versantur, vide Otto Everling, *Die paulinische Angelologie und Dämonologie,* Göttingen (Vandenhoeck u. Ruprecht) 1888, pp. 105 ss. — "That the demons inhabit the air is an opinion quite common in Jewish literature," ad hunc textum observat F. Prat, S. J., *The Theology of Saint Paul* (transl. from 10th French ed. by J. L. Stoddard), II (New York 1927) p. 413-414.

3. Magister, *2 Sent.,* d. 11; I (Quaracchi 1916) 354-355.

4. Petrus Pict., *2 Sent.,* c. 6 (PL. 211 955).

angeli boni; mali enim homines numerosiores sunt bonis ex illo *Mt.* 20 16: "multi enim sunt vocati, pauci vero electi"; atque "hoc certum est. Ergo plures sunt mali homines quam mali angeli. Ergo non omnis malus habet malum angelum sibi proprium, et ita malus angelus pluribus est deputatus: quod concedi potest." SUAREZ,[5] ut omnis de insufficienti numero explodatur obiectio, subtilitatibus mathematicis coniecturisque haud paucis indulget. "Fortasse sufficit," inquit, tertia pars infimi ordinis angelorum malorum pro omnibus hominibus simul viventibus in quolibet tempore; quod quidem "credibile est." Dicitur autem *tertia pars* etc., "quia creditur ex tota multitudine angelorum creatorum tertiam partem corruisse." Ast, cum "credibilius" sit, inferiores facilius persuasione Luciferi peccavisse, ideo, "fortasse" vel dimidia pars infimi ordinis cecidit. Quodsi adhuc insufficiens sit numerus, tunc, ratione analogiae cum angelis bonis superioribus personas excellentiores custodientibus, pariter ex daemonibus superioribus sumi poterunt impugnatores. Imo, ex omni ordine deputari poterunt, propterea quod ratione status omnes daemones minimo angelorum custodum inferiores sunt. Ita Suarez.

Quamvis verum sit, huiusmodi esse puras putas speculationes plus minusque inutiles, permittantur tamen quoad praemissas argumentorum adductorum aliquae observationes. Ante omnia, non est eadem quaestio de numero sufficienti angelorum custodum et daemonum impugnatorum, sicut Magister rem tradit. Nec Hildebertus nec auctor *Summae Sent.* hunc trahunt parallelum, et ipse LOMBARDUS, postquam ita fuse rem bipartite inspexit, in fine eiusdem textus partem circa daemones derepente excludit, atque inquisitionem concludit ita: "Caeterum sive ita sit, sive non, non est dubitandum unumquemque habere angelum sibi deputatum, sive pluribus simul destinatus (*al.* deputatus) sit, sive uni singulariter. Nec est mirandum

5. *De Angelis,* 8 21 31; p. 1097.

unum angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cum uni homini plurium custodia deputetur (*al.* plures deputentur in custodiam *pro* p. c. d.)...."[6] Si autem pro dubio habet, num angeli boni singuli sint pro singulis hominibus sufficientes, multo magis daemones, cum iuxta illius temporis persuasionem non ceciderit nisi tertia pars. Caeterum, hodiedum communior theologorum sententia, unum eumdemque angelum eodem tempore tantum unum hominem custodire, contendit, sicuti pariter, quod omnes singulique homines custodem angelum habent.

Praeterea, ut suprarelato argumento Magistri et Petri Pictaviensis vis dematur, sat videntur sequentes animadversiones. Primum, quod electi tot sint quot boni angeli, gratis omnino asseritur; numerus enim electorum a voluntate Dei praedestinantis dependet, et haec haudquaquam comperitur. Deinde, homines malos numero superare bonos, unice ex textu *Mt.* (20 16 et 22 14): "multi enim sunt vocati, pauci vero electi" deducitur, quamvis talis penes vetustiores communis fuerit interpretatio. Ast, si his Christi verbis parabolice enuntiatis talis significatio absoluta ascribatur, ut non solum Iudaeis, sed et omnibus fidelibus applicentur, sequeretur in s. Eloquiis contradictio ponenda. Enimvero, in ipsamet parabola de convivio nuptiali (*Mt.* 22 2 ss.), ad cuius finem verba citata inveniuntur, *unus tantum* ex invitatis, vestis nuptialis expers, foras emissus est. Iterum, ex tribus hominibus talenta recipientibus, nonnisi unus eiectus est (*Mt.* 25 14 ss.). Demum, in adhuc aliis locis numerus saltem aequalis ponitur, sicut virginum quinque prudentes et quinque fatuae (*Mt.* 25 1 ss.), vel uti de die adventus Filii dicit Christus: "Tunc erunt duo in agro: unus assumetur, et unus relinquetur...." (*Mt.* 25 40). Si autem huiusmodi textus in sensu literali sumuntur, sicut illi locum "multi enim sunt vocati, pauci vero electi" interpretantur, tunc sat clare apparet, quantum valeat ista praemissa: plures sunt mali homines

6. Magister, *2 Sent.,* d. 11; I (Quaracchi 1916) 355.

quam boni, sive damnati quam electi. Praeterea, si damnati plures sunt salvatis, quomodo verificantur verba Apostoli de victoria a fidelibus resurgentibus in immortalitatem reportata super mortem, cuius imperium habebat diabolus (1 *Cor.* 15 55; *Hebr.* 2 14)? Caeterum, quis potest inscrutabilia divinae praedestinationis iudicia penetrare?

Hisce vero principiis labefactis, ruit totum argumentum. Nec praetereundum, quod Pictaviensis, postquam unicuique homini unum daemonem assignari dixit, in fine citati argumenti videtur hoc ad solos malos homines coarctare. De caetero, ut minimum dicatur, sententia affirmativa in sua plena amplitudine ab illis non sustentatur, cum a deputatione *singulorum* daemonum *singulis* hominibus resiliant.

Quod ad SUAREZ attinet, est sedulo notandum, quomodo tota sua speculatio super falsum fundamentum construatur. Etenim, vetus illa divisio angelorum in assistentes et ministrantes desumpta fuit ex Dionysio, cui nimia auctoritas tribuebatur, eo quia discipulus immediatus Apostolorum falso putabatur. In veritate autem penitus abest fundamentum scripturisticum asserendi, solummodo tres inferiores ordines angelorum mitti; imo hoc sustineri non potest, nisi textibus s. Scripturae vim inferendo. Quod autem angeli superiores ad personas excellentiores mittantur, summum esse videtur, quod admitti potest. Sequitur ergo, Suarez ex illorum analogia gratuite argumentari.

Accedit adhuc, quantum ad aliud istud principium de tertia parte lapsorum, quod ex s. Scriptura non plus hauritur, quam quod *plures* angeli peccaverunt ("qui paratus est diabolo et angelis eius" — *Mt.* 25 41; "Deus angelis peccantibus non pepercit" — *2 Petr.* 2 4). Probabilius tamen tenetur, plures remansisse quam ceciderunt, "quia," ut dicit ANGELICUS,[7] "peccatum est contra naturalem inclinationem. Ea vero quae

7. *Sum. Theol.,* 1 q. 63 a. 9c.

contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt." Tertiam praecise partem corruisse autumandi occasio desumpta est ex *Apoc.* 12 4: "et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram . . ."; hoc autem nequaquam ad lapsum angelorum refertur. Sed revera de hac re nequicquam disputatur, quia, etiam concessa inter daemones aliqua praelatione, non apparet ratio, cur quidam eorum non essent deputabiles. Aliter quidem nonnulli Scholastici medievales senserunt de nimia quorumdam daemonum dignitate, qua a talibus negotiis nefandis inter homines abhorrerent; ita, e. g., auctores *Mallei Maleficarum,*[8] de exaggerato commercio carnali daemonum sive incuborum sive succuborum cum hominibus disserendo, hoc dicunt: "quaedam spurcitiae ab aliquibus infimis perpetrantur, a quibus superiores propter nobilitatem naturae secluduntur." Ipsemet SUAREZ siquidem fatetur, quod "longe probabilius videtur, nullos daemones esse semper inferno alligatos," nec aliquos semper in hoc aere commorari; "sed omnes propter peccata sua inferno ex se deputati sunt, et omnes propter electorum perfectionem permissi sunt in hoc aere aliquando saltem versari. . . . ,"[9] atque, "ideo per se credibile est, infernum numquam spoliari daemonibus omnibus,"[10] eo quia praesentia eorum in inferno ordinaria lex est et regula, absentia vero ex dispensatione et ob extrinsecum finem, scilicet, bonum hominum.[11]

8. Henr. Institoris, OP., et Iac. Sprenger, OP., *Malleus Maleficarum,* I (Lugduni 1669) 1 q. 4 p. 26.

9. Suarez, *de Angelis,* 8 17 2; p. 1065.

10. Ibid., 8 16 27; p. 1062.

11. Iustum esset de inquisitione circa numerum daemonum hic facta conqueri, sed necessaria videtur propter nimiam facilitatem, quacum nonnulli, Suarez vero praesertim, difficultatem istam quoad possibilitatem ex parte daemonum istiusmodi deputationis praetereunt. Ast, omne quod de numero admitti potest, presso sed optimo modo proponitur a Mart. Hagen, S. J., *Der Teufel im Lichte der Glaubensquellen* (Freiburg i. B. 1899) 40: "Dass die Zahl der gefallenen Engel eine grosse sei, geht aus der Antwort jenes Besessenen in der Landschaft der Gerasener hervor: 'Legion ist mein Name; denn unser sind viele' (*Marc.* 5 9; vgl. *Luc.* 8 30). Aber es wäre zu weit gegangen, wollte man behaupten, der dritte Teil aller geschaffenen Engel sei gefallen, weil es in der *Apokalypse* 12 4 heisst: 'Und sein Schweif fegte ein Drittel der Sterne des Himmels weg und warf sie auf die Erde'; diese Stelle bezieht sich eben nicht auf den Sündenfall der Engel. Wir müssen uns also mit der Tatsache abfinden, dass wir über die Zahl der verworfenen Engel nichts Genaueres wissen."

Sinatur adhuc unum adverti. Quodsi, ad difficultatem ex numero explodendam, pluribus hominibus idem daemon eodem tempore deputetur, tunc ambitus activitatis daemonum adeo dilataretur, ut tandem aliquando quamdam omniscientiam omnipresentiamque ipsis ascribere quasi necessum evaderet. Notum est, econtra, spiritus puros definitive, sive per contactum virtutis, esse in loco, et profecto in loco maiori vel minori secundum perfectionem virtutis. Ad hoc autem, quod daemon alicui homini semper constanterque et ubique adsit — sicut in sententia affirmativa expostulatur — oportet isti homini suam virtutem applicet; et si *huic* ita deditur, ideoque praesens sit *hic*, non videtur quomodo *simul tempore* aliis hominibus in dissitis locis (nam ii, quibus deputatur, non supponi possunt semper insimul esse), suam virtutem admoveat sive extendat, ita ut sit et *ibi* praesens. — In omni summa, constituto unicuique homini proprio daemone, mundus evadit tam plenus daemonum, quam hominum, et plane verificatur "ubique daemon" — istud stigma credulitatis medii aevi; praesentia activitasque daemonum in mundo et in salute hominum procuranda ordinaria regula evadit, potius quam extraordinaria et per modum exceptionis: quod nec cum divina bonitate misericordiaque, nec cum daemonum poena infernali plene convenire videtur.[12]

b) Ut talis deputatio ex parte daemonum rite fiat, requiritur insuper **Regimen Ordinis seu Subordinatio** inter ipsos angelos malos. Verum est, s. Scripturam insinuare quem-

12. Atvero, duplici ratione hucusque considerata permotus, convenientiam saltem admittit Gius. de Libero, *Satana: l'Essere, l'Azione, il Dominio* (Torino 1934) 354: "Io non voglio difendere questa opinione e neppure confutarla, ma, e per il numero stragrande di tentatori, e per lo straordinario loro potere e per tutto ciò che abbiamo visto della loro natura, da un cattivo compagno di questo genere, che mai ci lasci e che possa pigliare contatto con noi come e quando vuole agli effetti della tentazione poco ci corre. . . . " Probandum est autem, quod numerus tentatorum "stragrande" sit, sufficiens quidem pro singulis hominibus; quod autem ad "lo straordinario loro potere" spectat, non est obliviscendum, eam Dei voluntati totaliter subiacere, ideoque loqui de ista extraordinaria potentia, quin simul eiusdem a Deo dependentia consideretur, non est nisi tempus terere; et idem dicendum de illa omnimoda libertate daemonum, qui penitus ad libitum "pigliare contatto con noi" possunt.

dam ordinem esse in daemonibus (*Mt.* 9 34; 17 20; 25 41; *Eph.* 6 12; *1 Cor.* 15 21; *Apoc.* 12 7), imo et ipsum Christum loqui de regno Satanae (*Mt.* 12 26); tamen, in toto verbi rigore haud videtur hoc intelligendum. Distinguendum enim est inter subordinationem et unitatem. *Quoad priorem* facile est concipere, praelationem aliquam inter daemones vigere, ratione diversitatis ipsorum perfectionum naturalium. Utrum vero Lucifer supremus fuerit omnium angelorum, ita scilicet ut, si stetisset, super omnes, vel saltem in supremo ordine collocatus fuisset, non una est theologorum sententia. Angelos autem lapsos unum habere in caput supremum, non potest negari. Cui supremo inferiores subduntur inferioritate imperfectioris naturae.[13] Utcumque vero illa praelatio sit, "imperfecta et perversa est," sicut dicit SERAPHICUS DOCTOR.[14] Utrum vero divina iustitia omnes daemones inferiores isti capiti totaliter subiiciantur in poenam, non plane constat; caeterum, non apparet, quomodo ipse diabolus ex se potestatem habeat alios sua perversa voluntate compescendi, cum ipsi nullus sit verus titulus, atque subditi eius omnes rebelles sint et in malo obdurati.

Alia est quaestio *de unitate regni inferorum.* Revera aliqualis unitas ex communi omnium odio in Deum et homines haberi potest, sed an talis sit, qualis, presupposita divina permissione, indigeretur, ut singuli daemones singulis homnibus indesinenter adhaerendi deputarentur, certe non probatur. Et si res ex analogia humanorum consideratur, videtur potius in daemonibus adesse "regnum confusionis," sicut bene dicit LE-

13. Vide S. Thomam, *Sum. Theol.,* I q. 63 a. 8; q. 109 a. 2.—Quantum ad praelationem inter daemones in traditione iudaica convenit citare Fernand Prat, S. J., *The Theology of Saint Paul* (transl. from 10th French ed. by J. L. Stoddard) New York 1927, II p. 411: "The military organization of the demons is much more complete than that of the good angels. The *Book of Enoch* mentions, besides the commander-in-chief of the two hundred fallen angels, their twenty decurions; elsewhere centurions are spoken of, and chiefs of fifty and decurions. But usually the organization is not carried so far; only one supreme chief is named, to whom the crowd of subjects yields obedience...."

14. *2 Sent.,* d. 6 a. 3 q. 1; II (Quaracchi 1885) 167b.

PICIER.[15] Etenim, in quacumque coniunctione entium rationalium in aliquem communem finem conspirantium, praecipuum elementum est unitas, quae maxime ex fine determinatur; vera autem unitas moralis nonnisi ex bono fine obtinetur, quo voluntates conspirantium alliciuntur et in unum rediguntur. Econtra, quantum dispendium sit unitatis, quando finis in bono honesto non sistit, videmus in associationibus delinquentium, in rebellionibus politicis, militaribus, etc., in quibus dissensiones internae, lites abs numero, aliaeque scissiones sunt quasi ordo diurnus. Parum refert, quod dux eorum magna excellentia super alios praecellet, parum iuvat finis iste communis. Ubi abest legitima et honesta voluntatum subiectio, ibi deest omnino ordo, regnat confusio.

Modo admodum simili debet res se habere inter daemones. Pollent profecto libera voluntate, feruntur quidem odio implacabili invidiaque in homines, sed, qui in libera subiectione sub suavi iugo divinae gratiae olim non voluerunt ordinate degere, quomodo nunc in tenebris aeternae damnationis, in imis desperationis sese disposite in acie ordinata instruant? Si caritas melliflua Dei, qua maior non habetur, olim sufficiens non fuit ad ipsos in amplexu ipsiusmet Unitatis constringendos, quomodo nunc ex opposito fine in unitatem coalescunt? An odium maius sit vinculum unitatis, quam ipsa caritas, quae Deus est? — Absonum igitur sit, quod diabolus, "ille homicida ab initio" (*Io.* 8 44), tam extensam sibi vindicet potestatem ordinatam, excellentiam, imperium unitatis, subiectionem subditorum, ut singulos suos satellites ad aciei militaris instar, homines in perditione gehennae consociandi aucupabundos, singulisque igitur hominibus indesinenter vacandos, mittere queat. Aliud enim est daemones ad tentandum pro mensura a Deo concessa mandare, aliud singulos singulis hominibus ordinate deputare. Nihilo tamen secius, cunctis aliis considerationibus sepositis, *et de*

15. *De Angelis,* II 175.

nuda possibilitate physica absolute loquendo, nullam solidam rationem afferri posse contra hoc, quod unusquisque homo sicut angelum tutelarem ita et proprium daemonem exercitatorem habeat, fatendum est.

2) **Possibilitas Moralis.** Maioris omnino discriminis est quaestio, utrum daemonibus facultas moralis praesto sit, qua singulis hominibus exercendis tamquam impugnatores vacare queant. Huc spectat duplex quaesitum, videlicet, de promptitudine voluntatis ipsorum daemonum, et de voluntate Dei; dum autem prior quaestio paucis verbis absolvi potest, altera maiori prorsus evolutione indiget, cum in ea totius discussionis nodus apprime consistat.

PRAVA DAEMONUM VOLUNTATE INSPECTA, convenientia huiusmodi assignationis indubie omnino admittenda est. Enimvero, diabolus tamquam simia Dei, cuius divinitatem nefandissime aemulat, et contra quem super hominum salutem quasi bellum gerit, odio maximo invidiaque suae perversae voluntatis in homines ardet, quos omnes perdere, suosque in perditione socios efficere exoptat. Idcirco, facile conceditur diabolum, quantum de sola sua facultate intrinseca est, cupidissimum esse unicuique homini proprium tentatorem deputare. Vere simia Dei esset, si suos satellites ita ordinare posset, sicut Deus, in administratione suarum gratiarum angelos bonos, suos ministros, in custodiam hominum mittit. Sed ex hac sola voluntate daemonum nihil concluditur. Nam, si eis permissum esset, omne et tantum facere, quantum vellent, "non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelis esset in terra";[16] et valde credibile esset, diabolum omnes peccatores, quatenus sibi iam plene deditos, statim arrepturum fore. De facto autem ita non fit, quia diabolus a Deo quam maxime cohibetur.

Huius rei ratione contra dictam sententiam de proprio daemone ita arguit CUYCHIUS:[17] "neque necessum fuit . . . neque

---

16. S. Augustinus, *in Ps. 61,* n. 20 (PL. 36 715).
17. *Annotat.* (PL. 50 323).

congruum aut conveniens: ipsi enim daemones non egent incitatione aliqua ut nos infestent aut ad peccandum incitent, cum ad id faciendum ex perversae naturae suae inclinatione ipsi propendeant"; sunt enim ipsi sua sponte ad homines tentandos paratissimi. Quod autem argumentum, ut recte ait ESTIUS,[18] non admodum convincit; nam angeli boni sunt ad custodiam hominum paratissimi, et tamen specialiter ad eam ordinantur. Praeterea, talis deputatio aliquid superadderet maioris specificationis, nempe ordinata virium dispositio et executio, sicut milites ordine instructi multum plus in bello valent.

Haec cum angelorum custodia comparatio aliam suggerit argumentationem, cui haud leve momentum fautores sententiae affirmativae (Maldonatus, Al. Gazaeus, Ananias, Suarez) attribuunt.[19] Dicunt enim quod, cum contrariorum eadem sit ratio et doctrina, ideo unicuique homini a principe daemoniorum deputatur daemon specialis, sicut a Deo singulis datur angelus stipator. Ast, pluribus obnoxiis laborat hoc argumentum. Imprimis, de diversis causis efficientibus agitur; si ergo homini a Deo aliquod bonum confertur, non sequitur a pari a diabolo infligi aliquod malum. Praeterea, utraque deputatio haud consequitur ex aliqua ratione intrinseca, sed potius ex libera voluntate sive Dei sive diaboli, et quidem, propter extrinsecum aliquem finem. Axioma autem illud, ut aliquid valeat, oportet respiciat contraria, quae se habent intrinsece ad invicem tamquam perfectum et imperfectum ratione eiusdem obiecti formalis, sicut virtus et vitium; ita, v. g., in iustificatione unico actu fiunt conversio ad Deum et recessio a peccato, quemadmodum,

---

18. *In 2 Sent.,* d. 11 par. 4; I 101.

19. Hoc argumento uti videntur Hildebertus, Hugo de S. Victore, et Magister, qui paritatem omnimodam inter angelos custodes et daemones impugnatores contexunt. Necopinans est, quomodo hi omnes credibilitatem particularis deputationis daemonum ex analogia cum angelorum custodia deducant, dum, ex altera parte, unam convenientiae rationem pro tutela angelica praecise in ipsa deputatione daemonum ponunt: illa propter hanc, haec vero propter illam. Ita et Ricardus de Mediavilla, *in 4 Sent.,* d. 11 a. 1 q. 1 in concl.; II (Brixiae 1591) 135.

petendo Ostiam, accessio ad eam eadem omnino proportione fit ac discessio a Roma. Cuilibet autem patet, principium illud in praesenti minime esse ad rem, ideoque illud argumentum ex paritate omnino est repudiandum.

Quomodocumque convenientia se habeat ex parte potestatis cum physicae tum moralis ipsius diaboli, restat semper inconcussa *absoluta et inconditionata daemonis a Deo, suo Creatore, dependentia.* Nihil prorsus efficere potest iste spiritus nequam nisi secundum beneplacitum divinum. Hic praecise est crux, nedum huius particularis quaestionis, verum etiam totius tractatus de infestatione diabolica eiusque ratione, intentione, extensione, etc.; en quare retroactis temporibus tam diffuse grassaretur daemonomania fanatica, cui, quemadmodum Moloch, innumerorum innocentium vita sacrificata est; nimis diaboli potestas physica extollebatur, dum, ex altera parte, nimis negligebatur ratio divinae providentiae, bonitatis, et misericordiae. Et tamen ex hoc praecipue fonte est inquirenda eiusmodi convenientia seu non-repugnantia.

II. EX PARTE DEI

Actum iam est de possibilitate physica deputationis ex parte daemonum, necnon de diabolo tamquam eiusdem causa principali. Oportet nunc de potentia proxima disserere, quae omnia requisita ad agendum includit, et sic quaestio ad POTESTATEM MORALEM ex Deo dimanantem reducitur. Sciscitandum igitur est, utrum Deus vera causa principalis eiusmodi deputationis dici possit, ita nimirum ut, sicut per positivam ordinationem hominibus angelos custodes assignat, pariter unicuique proprium daemonem quomodocumque ascribat, an potius dicendum sit, Deum dumtaxat permittere, ut singuli daemones impugnatores ab eorum capite assignentur. Etenim, ad sententiam affirmativam propugnandam, necessum est unum alterumve

modum admittere, cum diabolus, utpote causa secunda, nihil prorsus efficere possit, ne in esse quidem persistere, abs primae causae concursu, sicut communius tenetur. Utroque autem in casu Deus se habet tamquam causa moralis sive positiva sive negativa seu permissiva.

1) **Deus Uti Causa Positiva** moralem facultatem sive obligationem vel consilium imponeret, ut daemones ad utendum dicta potentia physica, quam a Deo ut naturae auctore habent, proxime inclinentur vel ordinentur. Sed hoc repugnat. Esset enim positive inducere daemones ad malum faciendum; Deus autem "nemini mandavit impie agere" (*Eccli.* 15 21); nequit enim esse peccati auctor, propterea quod malum non habet causam efficientem sed deficientem, quae non potest esse nisi creatura. Impugnatio autem daemonum liquido est malum, cum diabolus tentet, ut in peccatum inducat, seu, non tentat, ut ad bonum probet, sed potius ut reprobet sive reprobum faciat. Tentatio enim est experimentum sumere ad sciendum; cum vero Deus omnia sciat, proprie non dicitur tentare. Quamobrem dicit S. Iacobus Apostolus (1 13): "Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat." Et hoc est semper firmiter tenendum.[20] Lucidum igitur est, Deum minime per mandatum positivum providere, ut singulis hominibus daemon tentator et sollicitator ad malum adhaereat, etiamsi forsan in aliquibus exinde procuraretur meriti incrementum.

Sed potestne fieri aliqua distinctio in ipso obiecto, in quod fertur divina voluntas, ita nempe ut Deus vere dicatur daemones tentatores in particulari positive ordinare, quin autem sibimetipsi contradicat? Certe, totum negotium daemonum inter ho-

---

20. Quando ergo in s. Scriptura legitur, quod "tentavit Deus Abraham" (*Gen.* 22 1) vel "Deus tentavit eos," i. e., iustos (*Sap.* 3 5), est intelligendum de experimento, quo Deus virtutem eorum apud homines notam facere voluit. Exemplum huius habetur apud *Io.* 6 5-6: Iesus "dixit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus." Vide et *Deut.* 13 3.

mines malum culpae est *ex parte ipsorum daemonum,* quia ex prava eorum voluntate cum mala intentione procedit. Ex hac parte igitur voluntas Dei non potest ferri in istam impugnationem tamquam obiectum, vel approbando vel simpliciter volendo eam *sub illa ratione formali.* Sed potest dici, Deum positive ordinare daemones impugnatores sub ratione formali et exclusiva *exercendi homines in virtute?* Sub hoc enim aspectu Deus hominum in merito profectum intenderet, quantumvis diabolus pro sua parte nonnisi detrimentum, imo et perditionem hominum aucupetur. Ast, circa hoc apud theologos non omnimoda claritas.

Ante omnia, daemones possunt, *etiam sub iussu Dei,* hominibus infligere *mala physica* sive in punitionem peccatorum sive in exercitium virtutis. Quantum vero ad *mala moralia* (tentationes) a daemonibus illata, communiter dicitur, Deum sese tantum permissive, ideoque negative, non positive, habere. Estne ergo possibile talem daemonum deputationem cum divina providentia componere, quatenus a malitia formali eius praescinditur, et tantum bonus finis exercendi homines, Dei voluntati positive ordinanti praefixus, consideratur? Negative respondit CUYCHIUS, dicens:[21] "Si vero etiam Deus malum angelum nobis deputasset in exercitium, videretur profecto peccati auctor esse, nimirum ipsum peccati auctorem, fomitem, sive causam nobis subministrans." Resiliret ergo in primam possibilitatem supra reiectam. Econtra, ESTIUS, qui ipse opinioni negativae patrocinatur, contra istud argumentum observat, quod tantummodo probat daemones non habere a Deo mandatum ad homines tentandos, minime vero daemones non deputari a Deo ad hominis exercitium.[22] Nam, arguit, tale exercitium, cum bonum sit atque nullam mali rationem in se habeat, proprie cadit sub ratione divinae providentiae, dum econtra tentatio, cum sit ad

21. *Annotat.* (PL. 50 323).
22. Estius, *2 Sent.,* d. 11 par. 4; I 101.

malum, proprie non comprehenditur a Dei providentia. Tentationem enim intendit diabolus, Deus vero solummodo exercitium ad virtutem, quocumque modo id nunc fiat. Aliis verbis, ipsa impugnatio a daemone est, ordinatio autem eiusdem a Deo, quae quidem sub hoc respectu sacra est, quia Deus novit omnibus uti ad bonum.

Ex alia parte, totam hanc discussionem effugit PETAVIUS, sicut et alii posteriores fautores sententiae affirmativae, ut Vasquez, etc., simpliciter negando daemones a Deo quolibet modo deputari: "Non enim incitari a Deo malum daemonem dicimus: ac ne assignari quidem, attribuique singulis, sed permitti tantummodo diabolo, ut quos velit custodibus angelis obiiciat."[23] SUAREZ itidem assignationem ex parte Dei penitus excludit, et subtiliter de hac quaestione disserendo, ubi de tentatione movet, explicationem ab Estio admissam excludere videtur. Nitide enim distinguit inter custodiam angelorum et impugnationem daemonum; prior per se et positive est ex intentione Dei, posterior vero ex concessione Dei permissiva, non ordinativa, fit. Deinde, egregie explicat Suarez, quod Dei bonitati repugnat dare daemoni potestatem moralem tentandi: "Nec enim potest, vel approbare factum daemonis tentantis hominem, vel simpliciter potest velle illud. Nec ex intentione directa illius facti, potuit velle, ut angeli mali in hoc aere versarentur; quia hoc esset, velle malum culpae, ut finem, et talem modum incarcerationis daemonum, ut modum ad illam . . . quia totum hoc ministerium malorum angelorum, quo in tentandis hominibus versantur, vera culpa est, et peccatum. . . . "[24]

Distinctio illa, qua Deus daemones dicitur assignare unice propter exercitium hominis, non videtur posse sustineri. Libenter conceditur exercitium illud esse quid bonum. Tamen, in supposito, Deus dicitur directe velle talem deputationem, ideo-

23. Petavius, *de Angelis,* 2 8 10; IV 34.
24. Suarez, *de Angelis,* 8 18 10; pp. 1070-1071.

que consequenter, et ipsam impugnationem, qua mediante exercitium ad bonum habetur. Namque, impugnatio, quae mala est, in concreto necessarie consequitur ex illa assignatione, quia ex parte daemonum malum hominis praeprimis intenditur. Reducitur ergo ad hoc, quod Deus impugnationem hominis vellet, etsi propter bonum finem exercitii hominis. Non videtur igitur, quomodo deputatio daemonum, ut obiectum voluntatis divinae, non se habeat ut medium directe volitum ad finem, qui enim intendi nequit, quin simul et medium ad illum intendatur. Exercitium autem hominum, quantumvis bonum, non iustificat illud medium. Aliis verbis, Deus suo morali influxu per deputationem daemonum duplicem produceret effectum, tentationem, nempe, et exercitium hominis; hic autem bonus effectus non obtinetur, nisi consequenter ad illum, qui malus est. Non videtur autem, quomodo, volendo bonum, praescindere possit a malo, quod in concreto necessarie praesupponitur. Sequitur ergo Deum non posse directe velle deputationem et hominis exercitium, simulque dumtaxat velle permittere, vel in bonum ordinare, malum, quo finis obtinetur.

Insuper, in supposito, quod Deus ipse daemones deputet ad homines exercendos, ipse esset causa moralis et principalis, daemones vero nonnisi instrumentales, ideoque totus effectus consequens ipsi Deo esset referendus. Ut ex dictis habetur, aliud est Deum ipsum deputare et ordinare daemones ad exercitium hominum, aliud omnino Deum ad exercitium ordinare deputationem impugnatorum a principe daemoniorum factam. In hoc enim casu nihil facit nisi *permittere* malum impugnationis a daemonibus fieri, eamque in bonum finem positive ordinat. In priori vero casu ipse per seipsum daemones ad agendum movet, positive per deputationem conferendo facultatem moralem impugnationis, quamvis propter extrinsecum bonum finem.

Concludendum igitur videtur, qualemcumque deputationem daemonum ex parte Dei non posse admitti. Et restat inquirendum de altero casu, in quo Deus tantum dicitur permittere

talem deputationem a Lucifero, principe daemoniorum, fieri.

2) **Deum Posse Permittere**, ut a Lucifero, satellites suos in acie ad debellandos homines instruente, singulis hominibus daemon proprius impugnator assignetur, absolute loquendo, nemini dubium est. Hoc modo diabolus dicitur facultate privativa seu negativa pollere, qua nempe in sua voluntate libera dictam deputationem facere relinquitur per hoc solum, quod a Deo non impeditur, sed sinitur agere, quod alias potest absolute, etiamsi non possit licite. Est ergo eadem quaestio ac de permissione divina cuiuslibet mali moralis. Advertendum est, vel malitiam formalem providentiae Dei subiacere, siquidem tamquam *obiectum circa quod* operatur divina voluntas, haud vero ut *obiectum quod.* Deus enim operatur circa hanc rem permittendo et permissam ad bonum finem ordinando; haec est ordinatio externa, qua malum permissum fit medium seu dispositio ad bonum. Quoad praesentem casum, Deus dicitur velle permittere, seu nolle impedire, quominus daemones a capite ipsorum deputati singulis hominibus oppugnandis adhaereant, modo sicuti Satanam sivit Job lacessere, diaboli propositum novicum non approbando, verum etiam hominibus resistendi media sufficientia, inter quae est et angelus custos enumerandus, positive conferendo ad meritum locupletius nanciscendum.

Iam in antecessum est sedulo notandum, quaestionem hanc de divina permissione istiusmodi deputationis circa positivam Dei voluntatem versari, quae autem nonnisi praesupposita ipsius ad nos manifestatione, i.e ., ex fontibus revelationis, innotescere potest. Cum vero penitus nihil in s. Scriptura et traditione habeatur, ex neutra parte afferri possunt argumenta apodictica. Superest ergo rationes congruentiae ex una alterave parte allatas ad trutinam revocare.

Quod Deus singulos daemones singulis hominibus impug-

nandis adhaerere permittat, ait SUAREZ,[25] "non est quid dubitemus, quia eadem ratio in hac permissione speciali, quae in generali missione huius belli, et impugnationibus daemonum invenitur. Certe ex revelatione constat, Deum permittere daemones tentare homines, atque conceditur eandem esse huiusce permissionis rationem ac in deputatione unicuique proprii daemonis, scilicet, exercitium hominis. Exinde autem haud consequitur, Deum permittere istam deputationem; nam quoad negotium tentandi sic in genere, factum ex s. Scriptura luculenter probatur, dum de assignatione singulorum daemonum prorsus nihil habetur. Cum autem permissio illius deputationis quid omnino speciale sit, ut ipse Suarez fatetur, aliquid superaddere debet missioni generali impugnationis diabolicae, quia secus esset inutilis et nullimode specialis. Si vero factum et convenientia generalis ministerii tentationis, quod minus est, constat, non potest ex eo ad factum vel convenientiam particularis daemonum assignationis, quae plus omnino est, conclusive argumentari.

Permissio divina in casu postulata, quod daemones singulis hominibus impugnandis constanter vacent, ut homines sic in virtute exerceantur, esset *vel* ut daemones homines *indesinenter* obsideant, *vel* tantum *identidem*. Si INDESINENTER, importaret licentiam generalem, qua daemones ad libita homines sibi deputatos tentare omnique modo impugnare possent. Hoc autem propter mulitiplicem rationem admitti nequit. Imprimis, talis illimitata facultas tentandi difficillime cum Dei bonitate et misericordia componitur. Incredibile namque videtur, Deum tam bonum et misericordem, et tam patientem cum miseria hominum morbo peccati enervatorum insidiisque propriae praesertim carnis necnon mundi undique aegre vexatorum, deque ipsorum salute tam sollicitum, ut conqueri possit, "Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?" (*Is.* 5 4), incre-

25. *De Angelis,* 8 21 31; p. 1097.

dibile, dico, Deum daemonibus odio invidiaque scelerata in homines saevientibus tam magnam libertatem concessisse, ut singulis vitae momentis ipsos homines comitarentur et adorirentur. Dicendum potius, factum mensuramque uniuscuiusque tentationis ab ipsamet voluntate divina, non a lubitu diaboli, pendere. Hic apprime referunt pulcherrima verba S. AUGUSTINI:[26] "Diabolus potestas quaedam est; plerumque tamen vult nocere, et non potest, quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantum potest nocere diabolus, quantum vult, non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Ipse per vasa sua impellit, quasi parietem inclinatum, sed tantum impellit, quantum accipit potestatem. Ut autem non cadat paries, Dominus suscipiet: quoniam qui dat potestatem tentatori, ipsi tentato praebet misericordiam. Ad mensuram enim permittitur tentare diabolus: *Et potabis nos,* inquit, *in lacrymis in mensura* (Ps. 79 6)...."

Re quidem vera, iam ab initio in ipso protoevangelio incepit Deus diaboli libertatem coarctare, maxime autem per Christum Servatorem, qui venit "ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum" (*Hebr.* 2 14), et sic "eripuit nos de potestate tenebrarum" (*Col.* 1 13): Hinc, secundum Patres, post Christum daemones non permittuntur tentare quantum possunt et cupiunt, nec quantum ante adventum Christi solebant; praesertim autem respectu Christianorum et Ecclesiae membrorum summopere ligantur. Ex Christi enim morte liberativa subsecuta est, quantum ad actum primum, totalis destructio diabolicae potestatis super homines, dum, quoad actum secundum, ope communionis Sanctorum, angelorumque custodiae, ipsius Ecclesiae eiusque mediorum uberrimorum (Sacramentorum et sacramentalium) diabolus saepe saepius sternitur, imo, et ad impotentiam reducitur. Eas ob rationes TANNER ad quaesitum "an Daemones absque speciali,

---

26. *In Ps. 61,* n. 20 (PL 36 715).

in unoquoque casu particulari, permissione Dei . . . nocere hominibus possint" respondet: "per se ipsos non posse; ut colligitur exemplo Jobi, 1 12 et 2 6, et exemplo Achab, *3 Reg.* 22 22, item indicio porcorum, *Mt.* 8 39."[27]

Generali illa facultate reiecta, indagandum adhuc restat, utrum congruum sit, quod Deus deputationem singulorum daemonum permittat, ita ut nonnisi IDENTIDEM, sive solummodo in certis casibus a Deo per modum actus permissis, homines infitiari possint. Tale autem suppositum ad hoc reducitur: daemones a Deo permittuntur singulis hominibus tentandis singulariter vacare, sed ut de facto et actualiter tentent, indigent adhuc particulari permissu divino. Atqui, hoc modo evadit talis deputatio omnino inutilis ac superflua. INUTILIS quidem, quia non apparet finis, utpote daemon alicui homini perpetuo ascitus illo tempore, quo facultate actualiter tentandi caret, impotens et otiose a parte stare deberet. SUPERFLUA autem, quia ad hoc idem optime sufficit generalis permissio, qua Deus sinit daemones in hoc aere versari ad homines subinde tentandos, quando et quomodo Deo placebit. Advertendum enim est, daemones, qua spiritus puri, tempore non indigent, ut homini alicui accedant. Et quod diabolica impugnatio potius generali illo modo concipienda sit, quam per distinctam et particularem deputationem daemonum singulis hominibus intime adhaerentium, suadetur ex s. Scriptura ubi dicitur spiritus nequam *in hoc aere* super terram versari, necnon quod "adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens *circuit,* quaerens quem devoret" (*1 Petr.* 5 8); iterum, in oratione iussu Leonis Papae XIII post Missam dicenda precatur S. Michael, ut "Satanam aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum *pervagantur* in mundo" in infernum detrudat.

SUAREZ, econtra, postquam rationes ex daemonum voluntate et numero cursivo calamo recensuit, atque nihil ex parte

27. Tanner, *Supplement.,* disp. 3 de Angelis, n. 56 pp. 238-239.

divinae permissionis obstare dixit, omnino excedere videtur quando concludit: "Nulla ergo ratio probabilis superest, ob quam credi possit, Luciferum non deputare singulis hominibus singulos spiritus malos, qui eos impugnent."[28] — Nihilo tamen secius, si variae rationes supra relatae non sufficiunt, ut saltem aequam probabilitatem sententiae negativae vindicent, proponenda sunt ex alio capite argumenta, quae maioris revera videntur efficaciae.

III. EX PARTE HOMINUM

Asseritur unicuique homini deputatum esse daemonem proprium ad exercitium. Econtra est, 1) quod multi sunt homines, sicut **Pueri et Amentes,** in quibus impossibile est haberi exercitium ad virtutem, cum usus rationis penitus expertes sint. Idcirco, tentatio diabolica nihil prodesset, ideoque consequenter deputatio ista nullam haberet rationem essendi. Et idem propemodum dicendum videtur de iis, qui omnimodis peccatis adeo implicati et deperditi sunt, quod "nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem" (*2 Tim.* 2 26).[29] Hoc argumentum, saltem quoad pueros et amentes omnino convincens videtur. Consequitur autem, thesim illam non posse in sua universalitate sustineri, ut dicatur daemones assignari *omnibus et singulis* hominibus impugnandis ad exercitium.

Communiter etiam additur, CHRISTO, quem purum hominem daemones existimabant, non semper adfuisse daemonem tentatorem, secundum illud *Mt.* 4 11 et *Luc.* 4 13: "diabolus recessit ab illo, usque ad tempus," sicut prius dictum erat diabolum *accessisse* ad eum. Si autem a principe daemoniorum daemones deputarentur, etiam Christus unum habuisset, cum

28. Suarez, *De Angelis,* 8 21 31; p. 1097.
29. Vide Estium, *2 Sent.,* d. 11 par. 4; I 101.

eum merum hominem putaverit diabolus. Idem est dicendum de BEATA MARIA VIRGINE, cuius, si proprius daemon semper adfuerit, partus illaesa virginitate diabolum non effugisset. De caetero, absonum est piarumque aurium offensivum dicere, Beatam Mariam Virginem, Matrem Dei, tam intime familiariterque cum ipsomet Deo coniunctam, necnon tam profunda contemplatione divinorum mysteriorum distentam, indesinenter sibi habuisse spiritum nequam ascitum.

Ulterior praedictorum consequentia est, quod admitti nequit, "hanc deputationem fieri A PRINCIPIO CONCEPTIONIS et animationis," ut ait SUAREZ[30] cum multis aliis sententiae affirmativae defensoribus. Hac perspecta difficultate, ANANIAS moderatius tenet, daemones nobis associari "iam a primo nostro ortu statim (ut multis placet) corporibus, ni prohibeantur, nocituri, animae vero non ante, quam liberi arbitrii voluntate nos regi, contingit. . . ."[31] Attamen, non licet huc paritatem cum custodia bonorum angelorum adstruere. Nam, quod angeli tutelares nobis iam ab incunabulis vacant, arguitur ex eo, quod isti stipatores nedum ad virtuose agendum et vivendum nos adiuvant, verum etiam curam protectionemque animae (v. g., quoad baptismum suscipiendum) et corporis gerunt, ideoque iam a nativitate. Ex altera parte, non videtur Ananiae concedendum, daemones ad adeptum usque usum rationis nobis adhaerere corpori nocituros, cum nulla sufficiens ratio, praesertim pro divina permissione supponenda, suppeditet; ad exercitium in bono nullimode esset, sed potius ad daemonum malitiae satisfaciendum.

2) **Etiam De Adultis et Solis Fidelibus** iisque ratione utentibus loquendo, incongruum videtur. Etenim, horum plerique sunt in virtute admodum debiles, et per seipsos ratione concupiscentiae ad peccatum valde proclives. Quod quidem maxime in psychologia recidivorum apparet. In huiusmodi ra-

---

30. *De Angelis,* 8 21 32; p. 1098.

31. Io. Laur. Ananias, *De Natura Daemonum* (ap. Aldum, Venetiis 1589) 36; etiam habetur in *Malleo Maleficarum,* II (Lugduni 1669) 2.

tione peccatorum repetitorum adsunt habitus vitiosi, utpote quantum plus isti peccant, tantum plus ad peccandum inclinentur; resistentia autem in eis minima est, ita ut tentari sit iterum peccare. Quanta sit miseria hominum vinculis peccati obstrictorum maximopere apparet in materia venerea; et peior adhuc est conditio infidelium, qui auxiliis, quae fidelibus praesto sunt, privantur. Re quidem vera, satis superque est, sola carne et mundo tentari; ne accedat adhuc diabolus, socius perfidus et mali sollicitator. His omnibus consideratis, revera nimium videtur divinae bonitati et misericordiae refragari, ut unicuique homini malevolum daemonem indesinenter assistere permittat, a quo impugnetur et ad peccatum propellatur. Accedit, quod Deus per angelos tutelares de facto daemones impugnantes saepe propulsat.

Denique, est et aliud sub hoc capite considerandum. Ex admissa sententia de daemonibus singulis hominibus singulariter vacantibus, TETERRIMA CONSEQUENTIA DIMANARET. Videtur enim sequi, diabolum sese in omnes tentationes immisceri, nisi quis contendere velit, deputationem istam inutilem esse, sicut supra dictum est. TANNER autem,[32] qui hanc connexionem perspexit, notat quod, admissa tali daemonum assignatione, "interim necesse non sit, ut omnia peccata ex diaboli instinctu proficiscantur."[33] Certe non est dubitandum, quod daemon iste, si facultatem moralem haberet, pro sua malitia omnem exciperet occasionem ad hominem sibi ascitum ad peccatum inducendum. Indubium insuper est, quod ipsi homines, haud cunctabundi essent ad omnes tentationes suo daemoni socio ascribendas, ita ut diabolus revera conqueri posset, sicut a S. Athanasio[34] fertur de monachis dixisse S. Antonio: "Cur me falso accusant monachi et omnes alii Christiani? Cur me horis

---

32. *Supplement.*, disp. 3 *de Angelis,* n. 57 p. 240.

33. Notum est, post D. Thomam longe communius doceri, non omnes tentationes consequenterque omnia peccata a diabolo proxime provenire, etiam si de ipso facto loquatur.

34. *Vita S. Antonii,* n. 41 (PG. 26 903).

singulis execrantur? ... Non ego, sed illi ipsi sese conturbant; ... Observent ipsi sese, nec me immerito execrentur. ..." De facto, in testimoniis veteris traditionis in favorem sententiae affirmativae citatis haec consequentia clare proponitur. Ita, e. g., in *Pastore* Hermae,[35] super quem tota traditio ista fundatur, omnia opera nequitiae in homine dicuntur exoriri ex instigatione daemonis socii; idem omnino habet Antiochus Laurae, et *Sermo 68 ad Fratres in Eremo* S. Augustino falso ascriptus. Ipse S. Gregorius Nyssenus, proponendo dictam sententiam, hominem describit tamquam medium inter angelum bonum et malum. Origenes econtra explicite ac energice negat omnia peccata diaboli instinctu fieri. Notare iuvat, hanc consequentiam, qua omnes tentationes ab instinctu daemonis repetuntur, logice secutam esse ex analogia exaggerata cum angelorum custodia. Nam, sicut omnia bona suggestione angeli boni fieri dicuntur, ita omnia mala, quae homo facit, ad persuasionem daemonis proprii impugnatoris reducerentur. In omni summa, quamvis eo ipso ex concessa deputatione specialis daemonis pro unoquoque homine non sequatur, omnes tentationes fieri per eiusdem instigationem, nihilominus in ipsis hominibus oriretur quidam pessimismus, quatenus totum salutis negotium propter instantem resistentiam contra daemonem tam intime ac indesinenter praesentem quaerentemque omnem occasionem homini insidiandi, modo potius negativo conciperetur.

Igitur ex parte hominum, puerorum nempe et amentium, negandum omnino videtur, singulis deputari singulos daemones; quoad adultos autem, praesertim infirmiores, inverisimilius est, singulis dari particularem aliquem daemonem ad exercitium.

---

35. Hoc est, si admittitur interpretatio contextus uti de daemone personali. Vide *Appendicem*.

RECAPITULATIO

PRO sententia, qua daemones singulis hominibus tentandis stabiliter iam a nativitate adhaerere dicuntur, NULLUM TESTIMONIUM SCRIPTURISTICUM afferri potest; imo, contrarium suadetur, eo quod negotium daemonum tentantium potius modo generali et instabili describitur, quatenus daemones *in hoc aere circuire quaerentes,* quem devorent, dicuntur. Nec EX TRADITIONE PATRISTICA contexi potest argumentum, quo tali sententiae solidum fundamentum ascisci queat. Nam, iure non citatur nisi Hermas, quem uti auctoritatem habent Origenes, S. Gregorius Nyssenus, et Cassianus, praeter quos autem Patres, praesertim occidentales, altissimum tenent silentium, quamvis de custodia angelorum, deque daemonum infestatione frequentissime loquantur. Ex quibusdam vero operibus spuriis multorum errorum scaturientibus, in quibus pariter affirmatur, nulla auctoritas addicitur. Penes illos omnes est sententia potius privata, quam persuasio communiter a fidelibus concredita. Attamen, MULTIS SCHOLASTICIS PRIMAEVIS opinio illa arrisit, sed unice propter auctoritatem Magistri Sententiarum, qui et ipse eam ex auctoritate S. Gregorii Magni habere immerito putavit. Auctoritas quidem solum erat argumentum pro ea ad saeculum usque decimum sextum, quando aliqualis investigatio theologica fieri incepit. A quo autem tempore nullus fuit theologus, qui sententiam affirmativam firmo aliquo fundamento solidisque rationibus comprobari ausus sit affirmare; a pluribus vero concessa est huius rei magna probabilitas. A parte negativa, econtra, haud pauci eam sententiam aperte reiecerunt.

CONVENIENTIAE ARGUMENTA dupliciter inspici possunt; vel singillatim vel globatim. Si SINGILLATIM et *ex parte daemonum* solius potestatis physicae odiosaeque voluntatis considerantur, non solum nulla repugnantia detegi potest, sed et valde credibile apparet. Tamen, ut *singuli* daemones *singulis* hominibus dicantur deputari, demonstrandum est, numerum sufficientem daemonum, necessaria unitate morali dispositorum, suppeditari; quod dubitatur. *Ex parte Dei* autem, prorsus repugnare dicendum est, si positiva ordinatione suae voluntatis Deus dicatur ipse talem deputationem facere; tamen, ita a nonnullis sustentata est sententia affirmativa. Quod autem Deus permittat, ut daemoniorum princeps talem assignationem exequatur, absolute loquendo, nullam inconvenientiam secumfert. Utrum vero in concreto ita sit, neutiquam innotescit, quoniam divina voluntas in revelationis fontibus non est manifestata. Attamen, inspecta divina permissione tentationis diabolicae sic in genere data, inutilis saltem et superflua videtur specialis tentatorum deputatio. *Ex parte hominum* denique maxima invenitur incongruentia; imo, quoad pueros et amentes nullimode admitti potest. Iam ex hoc ruit universalitas istius thesis, ita ut dicere nefas sit, *daemones omnibus singulisque hominibus a nativitatis ianua assignari.* Praeterea, etiam quando plurimorum fidelium adultorum infirmitas consideratur, ne quidquam de infidelibus dicatur, quibus multa desunt auxilia supernaturalia, inconvenientia ista haud evanescit.

Si CONIUNCTE inspiciuntur omnes quaestionis aspectus, iudicium magis definitivum inhaesitanter ferri potest. Etenim, magna convenientia huiusce deputationis ex parte ipsorum daemonum summopere extenuatur, quando cum bonitate ac misericordia Dei comparatur, a cuius voluntate saltem permittente unice dependet tota rei possibilitas in concreto, et quando perpenditur hominum viatorum maxima debilitas, de quorum salute tam sollicitus est Deus, ut Filium suum unigenitum Redemptorem

ac Liberatorem a diaboli servitute mitteret. *Etsi igitur sententiae affirmativae omnis probabilitas demi non possit, tamen, omnibus rationibus coniuncte perpensis, longe probabilius concluditur, opinionem illam, qua omni singuloque homini citra angelum stipatorem daemon pariter impugnator et mali sollicitator iam a die nativitatis indesinenter adhaerere asseveratur, haud posse rationabiliter sustineri.*

APPENDIX

PARS I

De Duplici Angelo in *Pastore* Hermae

1) Examen Internum*

INTRODUCTIO. — Etiamsi ex scriptoribus theologisque Herma posterioribus nullus umquam intellexerit hunc textum *Pastoris* aliter ac de duplici angelo *personali* (et supra haec interpretatio traditionalis, causa disputandi de ea, non est in dubium vocata), tamen gravissima argumenta interna praesto sunt, quare hic textus potius in sensu allegorico sit accipiendus. Enimvero, si legatur nedum hoc caput secundum sexti mandati, ubi occurrunt dicta verba, verum etiam totus liber secundus mandatorum, indubie videtur per duplicem angelum intelligendum esse spiritum sive animum aequitatis et iniquitatis, iustitiae et nequitiae, conscientiam bonam et malam, inter quas homo, libero arbitrio praeditus, eligere debet; consequenter, opera alterutrius "angeli" non sunt nisi opera voluntatis bonae vel pravae hominis. Liber enim secundus *Pastoris* habet pro argumento, cum sit opus eminenter morale, ostendere et describere duplicem vitae viam cum signis operibusque utriusque, ita ut Christianus sciat, quomodo sit a peccato recedendum et in bonum tendendum. Sic, *Man.* 6, 1, quod textui nostro quasi ad modum introductionis immediate antecedit: "Sed nunc tibi volo monstrare virtutes horum mandatorum, ut scias effectus illorum, quomodo ipsa posita sunt ad iustum pariter et iniustum. Tu itaque crede iusto; iniusto autem nihil crede. Iustitia enim rectam viam habet; at iniustitia pravam. Sed tu rectam viam custodi, pravam autem relinque. Prava autem via non habet exitum bonum, sed offendicula multa; aspera est, et spinosa, et ducit ad interitum, et noxia est hominibus ambulantibus in illa. Qui autem rectam viam petunt, aequaliter ambulant sine offensione; quia non est aspera, neque spinosa. Vides igitur, quod melius est per hanc viam incedere...." Et statim veniunt verba ista, quae in hac appendice ad trutinam revocantur, "Duo sunt angeli cum homine, unus iustitiae, et unus nequitiae...." Iterum, *Man.* 8, c. 1: "A malo abstine, et noli

---

* PRAENOTAMEN. Ad facilitati huiusce studii comparativi consulendum, adhibetur per totam appendicem textus *Pastoris* relatus apud Migne, PG. 2 891 ss.

illud facere. A bono autem abstinere noli, sed fac illud. Si enim abstinueris a bono, et non id feceris, peccabis. Abstine igitur ab omni malo, et scies omnem iustitiam." Utramque viam *Pastor* vividissimis coloribus delineat, praesentando inspirationes et motiones sive in bonum sive in malum, non tamquam quid accidentale et abstractum, sed praecise ceu spiritus reales et personales constanter homini adiacentes, modo quodam simili ac facit postea in *Sim. 9,* 15, ubi, tamquam mulieres virgines vestibus albis indutae, describuntur virtutes bonae, viz., "Fides, Abstinentia, Potestas, Patientia... Simplicitas, Innocentia, Castitas, Hilaritas, Veritas, Intelligentia, Concordia, Caritas," et virtutes pravae "Perfidia, Intemperantia, Incredulitas, Voluptas... Tristitia, Malitia, Libido, Iracundia, Mendacium, Stultitia, Inflatio, Odium." Et talis personificatio virtutum et vitiorum centies et plus per totum opus adhibetur!

PROBATUR ARGUMENTO INTRINSECO. — Quod talis sit recta interpretatio textus, fortissime arguit internum examen totius libri, ex cuius attenta et comparativa perlectione doctrina de duplici via tamquam argumentum centrale liquidissimo elucet. Hoc argumentum non eget demonstratione, sed mera declaratione, quae quidem fiet referendo in antecessum integrum caput secundum, in quo verba "duo sunt angeli cum homine" habentur, et supponendo innumera alia loca, ubi decursu libri *Pastor* de eadem re, et quidem quasi identicis verbis, disserit, quin autem spiritum realem et personalem intendat.

Ante omnia notandum est quod, loco vocis "angeli," in aliis Mss. alibi legitur "genius," alibi "nuntius," verba, nempe, quae in antiqua traditione, praesertim non-Christiana, saepius pro animo hominis bono vel malo usurpabantur. Deinde observandum est, quomodo inter spiritum bonum et malum, inter utriusque naturam et opera, sicut in hoc c. 2, *Man. 6,* et in aliis locis omnimodus parallelismus servetur. Hic enixe apparet non obstante insistentia in sequentibus super "angelum" malum ideo posita, quia disceptatio circa illum specialiter versatur. Doctrina enim catholica est, hominem habere angelum bonum in custodiam et forse posteriores scriptores propter hanc rationem verba "Duo sunt angeli cum homine; unus iustitiae, et unus nequitiae" tam inconsulto contextu duplicem angelum *personalem* intellexerunt.

TEXTUS IPSE SUB IUDICE. — Legamus integrum c. 2, *Man. 6:* "Audi nunc, inquit, primum de fide. Duo sunt angeli cum homine: unus iustitiae, et unus nequitiae. Et ego dixi illi: Quomodo, domine, scire potero, quod duo sunt angeli cum homine? Audi, inquit, et intellige." Statim DE BONO ANGELO: "Iustitiae angelus levis est et verecundus, mansuetus et quietus. Cum ergo in cor tuum ascenderit, continuo loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate, de venia, de caritate et de pietate. Haec omnia cum ascenderint

in cor tuum, scito quod angelus iustitiae tecum est: huic ergo angelo crede et operibus eius." Dein, DE MALO ANGELO: "Accipe nunc et angeli nequitiae opera. Primum amarus, iracundus, et stolidus est, et opera illius perniciosa sunt, et evertunt servos Dei. Cum ergo in cor tuum ascenderint haec, intelliges ab operibus eius, hunc esse angelum nequitiae. Et dixi ei: Quo modo, domine, intelligam? Audi, inquit, et intellige. Cum iracundia tibi accesserit aut amaritudo, intellige eum in te esse: deinde cupiditas multorum operum et optimorum ciborum et ebrietatum et appetentia multarum rerum alienarum, et superbia, et multiloquia, et ambitio et quaecumque iis similia sunt. Haec ergo cum in cor tuum ascenderint, intellige angelum nequitiae tecum esse. Tu ergo cum cognoveris opera illius, recede ab illis omnibus, et nihil illi crede; quia mala sunt opera illius, et non conveniunt servo Dei. Habes ergo utrorumque angelorum opera." Iterum DE BONO ANGELO: "Intellige nunc, et crede angelo iustitiae, quia doctrina illius bona est. Licet enim felicissimus sit homo, et cogitatio alterius angeli ascendat in cor illius; oportet illum virum aut mulierem peccare. Si autem etiam nequissimus vir fuerit aut mulier, et ascenderint in cor illius opera angeli iustitiae, necesse est, illum aut illam aliquid boni facere. Vides ergo quod bonum est, angelum iustitiae sequi. Si ergo illum secutus fueris, et credideris operibus illius, vives Deo: et qui crediderint operibus illius, vivent Deo."

ALII TEXTUS IN QUIBUS DUPLEX VIA PERSONIFICATUR. — In sequentibus inhaesitanter agnoscendus est parallelismus, sive quoad duplicem angelum seu viam sive quoad utriusque opera, cum suprarelato textu. *Man.* 1, 1: "Abiice abs te omnem concupiscentiam et nequitiam et indue virtutem iustitiae." Semper comparantur nequitia et iustitia et tamquam virtutes personificatae allegorice describuntur. *Man.* 2, 1: "Perniciosa est detractio: inconstans daemonium est, numquam in pace consistit, sed semper in discordia manet." *Man.* 4, 1: De adulterio et "desideriis mulierum" ait: "Si enim haec cogitatio in cor tuum ascenderit tam mala, magnum peccatum facis. Et qui haec faciunt, viam mortis sequuntur." In 6, 2, vero, simpliciter ceu "angelus nequitiae" describitur!

IRACUNDIA TANQUAM ANGELUS NEQUITIAE. — In 5, 1, incipit loqui de "spiritu aequanimitatis, patientiae" quem vocat, sicuti et alias virtutes bonas, "spiritum sanctum"; hoc autem, uti ex toto contextu eruitur, nec de Spiritu Sancto nec de angelo bono personali intelligi potest. "Aequanimis, inquit, esto, et patiens; et omnium operum nequissimorum dominaberis, et operaberis omnem iustitiam. Quod si patiens fueris, spiritus sanctus qui habitat in te, mundus erit, et non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu; sed gaudens dilatabitur in vase in quo inhabitat, et apparebit Domino hilaris in pace magna.

Quod si iracundia aliqua supervenerit, continuo spiritus sanctus qui in te est angustiabitur, et quaeret discedere. Suffocatur enim a spiritu nequissimo, et non habet locum apparendi, sicut vult; tribulatur enim ab iracundia. Utrique ergo spiritus cum pariter inhabitant, perniciosum est homini.... Et dixi illi: Vellem scire, domine, nequitiam iracundiae, ut custodiam me ab illa. Et dixit mihi: Scies; et si non custodieris te ab illa, perdes spem tuam cum tota domo tua. Sed recede ab illa. Ego enim tecum sum nuntius aequitatis: et omnes qui ab ea recedunt, quicumque poenitentiam egerint ex totis praecordiis suis, vivent Deo; sed et cum illis ero, et conservabo omnes: iustificati enim sunt omnes qui poenitentiam egerint, a sanctissimo nuntio." Hic "spiritus nequitiae" evidenter non est daemon personalis permanenter adhaerens sed malum iracundiae simpliciter, quia mandatur "recede ab illa," viz., per "poenitentiam."

Descriptio spiritus iracundiae (et aequanimitatis) explicatius perhibetur in *5,* 2: "Audi nunc, inquit, nequitiam iracundiae, quam prava quamque noxia est, et quo pacto servos Dei evertit. Qui enim pleni sunt fide, non potest nocere illis, quoniam virtus Dei est cum illis; evertit enim dubios et vacuos. Quoties autem viderit tales homines, iniicit se in corda eorum, et de nihilo aut vir aut mulier amaritudinem percipit, propter res quae sunt in usu, aut pro convictu, aut pro aliquo verbo, si quo forte incidit, supervacuo; aut pro amico aliquo, aut debito, aut pro his similibus rebus supervacuis. Haec enim stulta sunt et supervacua, et vana servis Dei. Aequanimitas autem valida est.... Nam iracundia stulta est, et levis et fatua. De stultitia vero nascitur amaritudo, et ex amaritudine iracundia, ex iracundia vero furor. Hic ex tot malis creatus furor, operatur peccatum magnum et insanabile. Cum enim haec omnia in uno vase sunt, ubi et spiritus sanctus moratur, non capit haec vas sed supereffluit; quoniam tener spiritus non potest cum malo spiritu immorari, recedit et habitat cum mansueto. Deinde cum recesserit ab homine in quo habitabat, fit homo vacuus a spiritu sancto: et postea repletur spiritibus malignis (*notetur numerus pluralis ! !*), et obcaecatur a cogitatione mala. Sic omnibus iracundis contingit. Recede ergo tu ab iracundia, et indue animaequitatem, et resiste iracundiae...."

TRISTITIA TAMQUAM ANGELUS MALUS.—Eodem modo in *10,* 1 motionem pravam tristitiae vocat spiritum: "Longe fac a te omnem tristitiam: etenim haec soror est dubitationis, et iracundiae. Quomodo, inquam, domine, soror est harum? Aliud mihi videtur tristitia, aliud dubitatio. Et ait: Sine sensu non intelligis. Tristitia enim omnium spirituum nequissimus est, et pessimus servis Dei; et omnium spiritus exterminat, et cruciat spiritum sanctum...." Iracundia ergo, dubitatio et tristitia inducunt spiritum nequitiae vitandum! Et *10,* 2:

"Quicumque ergo fortes sunt in fide Domini, et induti sunt veritatem, talibus spiritibus non iunguntur sed discedunt ab illis."

OPERA UTRIUSQUE COGNOSCENDA. — Ita descriptis spiritibus aequanimitatis et patientiae necnon iracundiae, dubitationis et tristitiae, procedit in *6,* 1 "De agnoscendis uniuscuiusque hominis duobus angelis, et utriusque inspirationibus." Tunc, praefigendo istud, "Duo sunt angeli cum homine: unus iustitiae et unus nequitiae," in *6,* 2 enumerat signa, bona nimirum opera quae, praesente spiritu bono, in cor ascendunt, sicut etiam vitia, praesente spiritu malo. Huic igitur non est credendum sed ab eo recedendum, illi vero credendum. "Omnis enim spiritus," ait in *10,* 2, "a Deo datus non interrogatur; sed habens virtutem divinitatis, a se omnia loquitur; quia desursum est a virtute divini spiritus." Omnis ergo bonus spiritus, scil. inspiratio seu motio, ab ipso Deo est, sicut passim docet ipsamet Sacra Scriptura. Quod autem huiusmodi spiritus non sit personalis, ex eo patet quod *Pastor* eum cruciari, vexari, angustiari, laedi, etc. repetities dicit.

SPIRITUS COELESTIS ET SPIRITUS TERRESTRIS. — Spiritum istum sanctum et coelestem esse desursum a Deo et magna virtute pollentem ad bonos fructus producendos, modo sicut granum in terra, fatendum; spiritus autem malus est terrestris, vacuus, nullam habens virtutem. Ita in *11,* 1: "Proba ergo de vita et operibus hominem, qui dicit se spiritum sanctum habere. Tu autem crede spiritui venienti a Deo, habenti virtutem. Spiritui autem terrestri vacuo, qui a diabolo est, in quo fides non est neque virtus, credere noli." Eamdem ideam applicat ad virtutem fidei eiusque oppositum, dubitationem, in *9,* 1: "Vide ergo dubitationem hanc, quam perniciosa sit et saeva, et multos radicitus evellat a fide etiam valde fideles et firmos. Etenim haec dubitatio filia est diaboli, et valde nequiter agit cum servis Dei. Contemne ergo dubitationem: et dominaberis illius in omni re. Indue firmam fidem et potentem. Fides enim omnia repromittit, et omnia consummat; dubitatio autem non credit se aliquid impetraturam omnibus operibus suis quae egit. Vides ergo, inquit, quod fides desursum est a Deo, et habet virtutem magnam; dubitatio autem terrestris spiritus est, et a diabolo, virtutem non habens. Tu igitur serva virtutem fidei: a dubitatione autem recede, quae non habet virtutem; et vives Deo."

CONCUPISCENTIA UTI SPIRITUS. — In *12,* 1 describit duplicem spiritum concupiscentiae sive cupiditatis bonae et malae: "Tolle a te omnem cupiditatem malam, et indue cupiditatem bonam et sanctam. . . ." Loquitur tunc de cupiditate prava eodem modo ac de angelo malo in man. 6, 2 et addit "si inciderit in eam servus Dei . . . consummetur ab illa pessime." Cupiditas enim ista "spiritus omnium hominum terrestris est et levis, et virtutem non habet in totum, et multa loquitur" (ib.). Postquam ipsius enumerata sunt opera (opera, n. b., quae in 6,

2 associantur angelo malo!), in *12,* 2 legitur: "Haec ergo cupiditas mala est et perniciosa, quae mortificat servos Dei. Haec enim cupiditas a diabolo est. Quicumque ergo recesserint a cupiditate mala, vivent Deo." Sed quomodo recedere a spiritu cupiditatis, si daemon sit personalis permanenter homini aucupans?

DE VERO DIABOLO. — Omnino aliter loquitur, quando sermo fit indubitanter de vero diabolo. *4,* 3: "Deus novit nequitiam diaboli, qua molitur aliquid sinistri servis Dei, et maligne insidiatur illis." De diabolo non est sermo uti de spiritu "cum" vel "in" homine, sed ab extra eum aggrediente! A diabolo vero provenit spiritus iste malus, iracundus, amarus, perniciosus, qui est in homine, ut habetur in *9,* 1; *11,* 1; *12,* 4-5. Iterum, 7, 1: "Diabolum ne timeas.... Time plane facta diaboli, quoniam maligna sunt: metuens enim Dominum, timebis, et opera diaboli non facies, sed abstinebis te ab eis." Fusius in *12,* 5: "Non potest dominari in Dei servos, qui ex totis praecordiis in Dominum credunt. Potest autem diabolus luctari; sed vincere non potest. Si enim resistitis illi, fugiet a vobis confusus. Nam quicumque pleni fide non sunt, timent diabolum, quasi potestatem habentem. Diabolus enim tentat servos Dei, et, si invenerit vacuos, exterminat.... Sic et diabolus venit ad homines servos Dei, ut tentet illos. Quicumque autem pleni sunt fide, resistunt ei fortiter; et ille recedit ab eis, quia non habet locum intrandi. Tunc vadit ad illos qui non sunt fide pleni, et quoniam habet locum, inde intrat in illos; et quaecumque vult, facit illis, et fiunt famuli eius." Hoc loco optime explicatur doctrina catholica de diaboli potestate necnon de modo quo homini insidiatur, viz., *ab extrinsecus,* quandoque "intrat in illos" homines "qui non sunt fide pleni" et tunc "quaecumque vult, facit illis, et fiunt famuli eius," hoc est, in possessione reali et physica vel in possessione ethica, sicut de casu Iudae supra in thesi explicatum est.

CONCLUSIO. — Contextu libri secundi *Pastoris* ita fusius atque intimius inspecto, neminem latere potest, sensu simpliciter morali et allegorico intelligenda esse verba ista: "Duo sunt angeli cum homine: unus iustitiae, et unus nequitiae."

2) Hermas Influxus Extraneos Subiit?

Eo quia sic contenditur, Hermam virtutes et vitia ad instar spirituum seu angelorum bonorum vel malorum depingere, haudquaquam consequitur, eum negasse funditus existentiam spirituum purorum. Tamen, quidam Protestans, praenotata dicta praedilectione Hermae pro "hypostatisatione," uti ait, seu personificatione virtutum et vitiorum, motionum concupiscentiae bonae et pravae, talem immerito trahit con-

clusionem.[1] Talis tendentia communis est multis Protestantibus, qui existentiam physicam spirituum purorum negare pro viribus tentant, et sicut de casibus possessionis daemoniacae in N. T., huic praeiiudicio conformiter, diabolum tamquam personificationem mali, ideam nempe abstractam, profitentur. Hoc modo de Herma sentire videtur Henricus Weinel,[2] qui motiones psychicas ubique intelligere vult, quandocumque sermo fit de spiritibus seu angelis. Bene vero explicat iste auctor, psychicam experientiam hominis primis temporibus modo generali et impersonali, per figuram nempe duplicis viae, fuisse descriptam, sicut primum factum est in *Didache*. Postea, magis concreto, bonum cum bono angelo Christo identificatum est, malum vero cum diabolo (sic apud Barnabam), usquedum penes Hermam et singulae ipsae motiones duplicis viae in specie tamquam spiritus boni vel mali enuntiatae sunt. Attamen, nullimode exinde concludendum est, existentiam physicam angelorum et daemonum ab illis primaevis scriptoribus negatam fuisse!

GNOSTICISMUS? — Quia autem Hermas descriptione dualistica in vita morali hominum delineanda usus est, nefas omnino est eam propter rationem concludere, eum Gnosticismi errori subscripsisse. Nam, ex similitudine externa et generali non necessarie deducendum est ad identitatem ipsius rei! Idcirco, propterea quod similis est dualismus luctae inter bonum et malum ab homine conducendae, sicut explicatae a Herma, non eo ipso sequitur, eum tueri dualismum doctrinalem Mazdeismi vel Gnosticismi. Enimvero, Hermas, sicut inconcusse ex *Pastore* claret, minime docet malum esse quid essentiale, seu, res creatas ex natura esse malas, sed simpliciter ponitur homo a Herma liber ex natura et libere electurus inter duplicem modum (quid accidentale!) vitae, viz., inter bonum et malum. Haec autem non est nisi doctrina ipsius Sacrae Scripturae. Caeterum, nullum esse potest dubium, quin Hermas de Deo uno, Creatore, Redemptore et Remuneratore recte omnino et catholice senserit.

MONTANISMUS? — Prout accusatio de Gnosticismo Hermae illata prorsus est reiicienda, ita etiam, et fortius, de Montanismo. Attamen, forsitan ex hoc praecise capite melius potest argumentum modusque scribendi in *Pastore* comprehendi. Nam, admittitur ab omnibus, Hermam, Romae degentem, librum suum pro Graecis et graeco calamo

1. Ita, Dr. F. S. Mackenzie citatur in appendice a Kirsopp Lake, *Landmarks in the History of Early Christianity* (New York 1922) p. 107: "Hermas does not, in fact, preserve any clear distinction between spirits and angels. He reveals throughout an undoubtable fondness for hypostatisation. Even virtues and vices, emotions and passions, are described as spirits or demons as the case may be, and spoken of as if they were possessed of personality."

2. Heinrich Weinel, *Die Wirkungen des Geistes u. der Geister im nachapostolischen Zeitalter bis auf Irenäus*, Frieburg i. B. (Leipzig u. Tübingen: J. C. B. Mohr) 1899, 1-26 et 154 ss.

exarasse. Nunc, haeresis Montanismi longe in Oriente ardebat et grassabatur, antequam in Occidente radices immiserit. Hermas, igitur, ad illam pestem efficacius confundendam, munus sibi arripuit, doctrinam veram catholicam de vita morali hominis super terram modo simplici et populari atque, quod summi est momenti, modo accomodato ad mentem Orientalium, viz., uberrimis allegoriis, similitudinibus, visionibus, etc., exponere. Nobis utique occidentalibus taedium quam maximum iniicet huiusmodi methodus parabolica, sed Orientalibus optima et desideratissima est. Quid igitur mirum quod *Pastor* Hermae tam magno plausu necnon profunda reverentia, imo uti liber inspiratus et canonicus, penes ecclesias orientales erat receptus? Nonne, pariter, sic resolvitur logice et naturaliter, quare sententia ista de duplici angelo personali, ansa ex *Pastoris, Man. 6,* c. 2 apprehensa, nonnisi apud Graecos favorem receperit?

INFLUXUS PAGANUS AUT IUDAICUS? — Tandem, de relatione *Pastorem* inter et paganos necnon iudaicos scriptores, quid dicere iuvat. Quoad duplicis angeli opinionem, quam posterior traditio ex Herma desumpsit, dicit Le Nourry:[3] "Nec praetermittendum est quosdam (v. supra p. 53) autumasse hanc opinionem, 'magis ad fabulas falsarum religionum pertinere, quam solidum in doctrina Christiana habere fundamentum.' Sed cui credibile fiet Hermam a paganis potius quam ab apostolicis viris, sibi coaevis, illam accepisse? . . . dicendum est e contrario paganos ab auctorum nostrorum fontibus omnia hausisse huiuscemodi doctrinae dogmata." Quantum ad priorem partem, de Hermae nempe dependentia a paganis, recte loquitur Le Nourry; sed ei dissentiendum est si insinuare vult, doctrinam de daemone proprio et personali unicuique "ab apostolicis viris" deprompsisse Hermam. Verum autem in genere est quod pagani nonnulla dogmata, non autem de daemone proprio, a Christianis mutuarunt, sicut inferius dicetur.

M. R. Reitzenstein[4] pro argumento habet communionem inter literaturam trismegisticam et Gnosticismum atque omnibus viribus probare vult intimum nexum inter Hermam et scriptores graecos, aegyptiacos, assyrios, babylonicos[5] — omnimodos paganos sed nec minima vocula de possibili relatione inter Hermam et Iudaeos.

Huc autem habetur conclusura: angelologia *Pastoris* plurima et indubia vestigia praesefert angelologiae iudaicae, ita quidem ut com-

---

3. D. Le Nourry, *Dissertatio de Vita et Scriptis S. Hermae,* in *Appar. ad Biblioth. Max.,* p. 47 (vide Migne, PG 2 846).

4. Reitzenstein, *Poimandres: Studien z. griechisch-ägyptischen u. frühchristlichen Literatur,* Leipzig 1904.

5. Vide censuram ipsius a G. Bardy, *Le Pasteur d'Hermas et le Livres Hermetiques,* in *Rev. Bibl.* VIII (Paris 1911) 391-407. Sed nil dicit de duplici angelo apud Hermam!

parationes parallelae haud paucae inter Hermam et scriptores iudaicos, praecipue Philonem, trahi possunt.[6] Hanc propter relationem, optimi videtur consilii, angelologiam et daemonologiam Iudaeorum, praesertim primorum saeculorum huiusce erae, profundius investigare, sicut infra ostendetur.

PARS II

Duplex Angelus in Traditione Non-Christiana

PRAENOTAMEN. — Cum finis huiusce dissertationis apprime sit nonnisi dogmatica expositio quaestionis de duplici angelo, non intrat formaliter nisi respectus ad fontes theologicos catholicos. Cui vero scopo satis esse factum, humiliter spero. Attamen, cum, ut iam supra ostensum, fons originalis huius alienae doctrinae non fuerit ipsum depositum revelationis, quodammodo interest, amplioris scientificae cognitionis causa, exarare fontes ulteriores, si qui sint, sive apud paganos sive apud Iudaeos, undenam sententia de daemone unicuique proprio suam habuerit originem undenamque in posteriorem traditionem christianam inserpserit. Talis autem disquisitio undequaque completa ut fiat, magnopere est exoptandum; praeberet quidem thema optimum pro speciali aliqua dissertatione laureali. In praesenti autem, plus quam delineare quaestionem in genere, sive lineas et indicia generalia offerre non molior.

Quantum ad doctrinam de duplici angelo homini personaliter adhaerente, videtur adesse quaedam iunctura inter Mahumetanos, antiquiores scriptores christianos, Graecos, Iudaeos et Persas ac forse Aegyptiacos.[7]

APUD MAHUMETANOS. — Egregium studium daemonologiae in ipso *Koran* confecit mox citatus Gualterus Eickmann. Pro Mohammed *angelus* est nomen omnium spirituum bonorum, qui *Allah* circumferunt et serviunt, dum verbo *ginn,* non ad totum mundum invisibilem denotandum sicut radicitus, sed solummodo pro inferiore spirituum ordine usus est.[8] Ex innumerabili coetu angelorum singulis

6. Qui tales comparationes videre exoptat, adeat quaeso opus *Studien zum Hirten des Hermas,* Göttingen (E. A. Huth); deficiente pag. tituli in exemplari a me adhibito, auctorem et annum publicationis ignoro. — Adeas etiam Dr. Andr. Brüll, *Der Hirt des Hermas nach Ursprung u. Inhalt untersucht,* Freiburg i. B. (Herder) 1882, p. 62.

7. W. Eickmann, *Die Angelologie u. Dämonologie des Korans im Vergleich zu der Engel u. Geisterlehre der h. Schrift,* New York & Leipzig (Selbstherausg. bei Paul Eger, Leipzig) 1908, p. 44.

8. Eickmann, o. c., p. 15; de istis *ginn* vide etiam Taufik Canaan, *Dämonenglaube im Lande der Bibel,* Leipzig 1929, p. 4.

hominibus duo in custodiam assignentur, unus ad dexteram, alter ad sinistram, sive unus ante, alter retro hominem.[9] Angeli vero cum boni tum mali de homine a nativitate ad mortem usque maximopere sese occupant. Utrum vero ipse Mohammed particularem *ginn* continuo unumquemque hominem comitantem reapse postulaverit, certo statui nequit;[10] proculdubio autem talis doctrina ei a Mahumetanis adscribitur.

APUD GRAECOS. — In literatura profana vox ἄγγελος numquam angelum in nostro sensu sed semper *legatum* sive nuntium, uti habet ipsius entymon, significat. Δαίμων autem primitus, v. g., apud Homerum, virtutem seu potentiam divinam denotabat, quasi synonymum verbo Θεός. Cum autem potius tamquam auspicium adversum intelligeretur, fatum significare identidem incepit; sed semper in utroque sensu, bono et malo, promiscue adhibebatur. Iuxta Graecos omnis creatura, etiam irrationalis, proprium δαίμων sive *genium* habet. Genios istos sive spiritus inferiores ubique terrarum, praesertim locis teterioribus, praesentes credebant. Ast, nequidem periodo posteriore videtur apud eos opinio de daemone aliquo, *spiritu puro et personali,* unumquemque hominem comitante, admodum divulgata fuisse.[11] Daemonologia autem graeca maximum influxum in Judaeos primorum saeculorum post Christum, specialiter in scriptores apocryphos, talmudicos et Philonem Alexandrinum exercebat.[12]

APUD IUDAEOS. — Optime notat Ioan. Smit:[13] "Unus ex diffi-

---

9. *Koran,* Sur. 6, 61; 13, 12; 50, 16-17; 86, 4; ap. Eickmann, o. c., p. 42.

10. Idem, o. c., p. 58, ait: "Aus diesem grossen Geistesheere, das an dem Geschicken auf Erden reges Interesse nimmt, ist jedem Menschen sein Schutzengel beigesellt, auch ein böser Engel geht ihm nach dem Koran stets zur Seite." Atvero, tunc addit: "Diese Engel sind offenbar das gute und böse Gewissen des Menschen, die nach Mohammed die Taten des Menschen genau registrieren."

11. Fundamento solido, quoad daemonem maleficum, caret, quod legitur in *Dict. Theol. Cath.* IV (Paris 1911) 322, de daemone apud Graecos: "Le demon a encore jouè le role de protecteur personnel ou d'esprit malfaisant, attachè à un homme qu'il accompagne pendant la vie, dont il dirige les pensées, les désirs et les inclinations. On connâit assez le demon de Socrate." (Vide supra p. 36 nota 4.)

12. Joseph Langen, *Das Judentum in Palästina z. Zeit Christi,* Freiburg i. B. 1866, p. 306 ss.

13. *De Daemoniacis in Historia Evangelica, Romae* (Biblicum) 1913, pp. 89-90. Itidem conquaeruntur W. Eickmann, o. c., p. 10; Taufik Canaan, o. c., p. 111; et Otto Everling, *Die Paulinische Angelologie u. Dämonologie,* Göttingen 1888, p. 5. Dein, qui daemonologiam iudaicam, praesertim recentiorem, ex professo vult excolere, ponderare debet verba doctissimi Fernand Prat, S. J., *The Theology of St. Paul,* II (New York 1927) p. 408: "Here, a mad phantasmagoria peoples heaven and earth with supernatural beings bearing fantastic names and having strange forms, who seem by themselves alone to fill the terrestrial stage. In the rabbinical theology it is still worse, except in the Mishna, where these speculations have a chance to display themselves. Whoever is interested in these extravagant dreams of disordered brains can consult one of the numerous authors who treat on the subject; he will be embarrassed to know what to choose from out of the mass." — Et quam vera sunt haecce verba!

cillimis tractatibus theologiae biblicae omnium doctorum iudicio est quaestio de daemonologia Iudaeorum; quasnam sc. ideas Iudaei tempore Christi habuerint de daemone eiusque potestate et operibus; utrum hae ideae obiectivae veritati sint correspondentes, necne; atque unde originem istae ideae verae vel falsae deduxerint, ex revelatione nempe divina, an ex commercio cum populis, apud quos daemonologia valde erat exculta. Quaestio sic posita nondum est tractata...."

Utpote nullibi in V. T. sententiam de daemone unicuique adhaerente invenimus, logice concluditur, Iudaeos ratione revelationis divinae immunes remansisse ab influxu dualismi exaggerati necnon daemonismi apud illos populos, sicut Persas etc., cum quibus Iudaei commercium conduxerunt. Generatim autem penes populos semiticos, etsi non in V. T. durante periodo prae-et post-exilica, angeli boni et mali incessabilem incredibilemque inter homines influxum explicare credebantur, imo singulos habere proprium daemonem.[14] Deinde, quodammodo apud Septuaginta sed maxime in literatura apocrypha et rabbinica influxus Graecorum apertissime elucet. Nunc tandem incipit modo definitivo enuntiari doctrina de duplici via bonitatis et malitiae, iustitiae et nequitiae, et consequenter de angelo bono et malo. Ita, v. g., ex rabbinicis *Sohar in Gen.* (40): "Duo angeli cum quavis anima exeunt, unus a dextra et alter a sinistra. Et si probus est homo, isti eumdem custodiunt, sin minus eumdem accusant." Hoc autem fusius explicatur (ibid., 337 et 379): "Duo angeli, qui hominem conducunt, sunt concupiscentia bona et concupiscentia prava, quod si in via bona ambulaverit homo, corroboratur concupiscentia bona; si vero ambulet in via prava, corroboratur concupiscentia prava."[15] Eamdem prorsus doctrinam iam vidimus apud Mohammed, qui certo certius ex Iudaeis et veteribus Christianis multas hausit ideas. Nam ipse docet, angelum bonum et angelum malum (conscientiam bonam et malam!), qui unumquemque hominem per vitam comitantur, munus habere respective conscribendi omnia gesta hominis in iudicio ultimo patefacienda. Et apud *Pastorem* Hermae duplicem angelum cum duplici concupiscentia in natura humana lapsa identificari supra invisimus.

Graecos inter et scripta talmudica apocryphaque agnoscendus est irrefragabiliter nexus pressissimus, ita quidem ut in ipsa Palestina, ad instar superstitionis graecae, unicuique creaturae, sive irrationali sive rationali, specialis quidam spiritus, vel angelus vel daemon, fuerit attri-

---

14. Taufik Canaan, o. c., p. 47: "Die Bewohner Palästinas glauben, dass jeder Mensch innerhalb der Geisterwelt einen besonderen bösen Dämon hat, der ihn überall verfolgt, um ihn am eigenen Körper, an Hab und Gut zu schädigen."

15. Cfr. et *Sohar in Exod.*, p. 190; apud W. Eickmann, o. c., p. 42.

butus.[16] Quamvis vero doctrina de angelis custodibus communissima apud eos fuerit, tamen non adeo distincte angelus *malus* et personalis homini ascribebatur, eo quia in istis libris apocryphis (*Sirach, Henoch, Jubilaeorum, Testamenta Duodecim Patriarcharum, Vita Adami,* etc.) vera farrago idearum confusissimarum circa multiplices distinctiones inter spiritus nequam eorumque naturam (non enim concipiebantur ceu spiritus puri sicut apud nos!) invenitur.

Influxum Hellenismi ex Iudaeis summopere subiit PHILO ALEXANDRINUS, qui traditionem Bibliae veterumque Iudaeorum funditus reliquit et sese suasque ideas de angelis ad doctrinam philosophorum pro viribus adaptavit.[17] Angelos quidem uti spiritus puros concepit, quamquam admiserit eos posse corpora assumere, quibus carnaliter cum hominibus commiscerent, tamen in genere tendentiam platonicam in personificando ideas boni et mali aperte manifestat. In hoc percipi potest relatio quaedam inter Philonem et Hermam.

CONCLUSIO. — Ut in exordio praenotatum, haec pauca verba non aliter congeruntur, nisi ad conspectum generalem huiusce quaestionis spinosissimae offerendum. Tempestivum autem prorsus est, ut quis tale studium cum apparatu scientifico aggrediatur. In hunc finem, praeter auctores iam superius citatos (i. e., Walter Eickmann, Taufik Canaan, Otto Everling, Ioan. Smit), quaedam adhuc alia opera utilia notentur.

DAVIES, *Magic, Divination and Demonology among the Hebrews and Their Neighbors,* London (J. Clarke Co.) 1898.

EDERSHEIM, ALF., *The Life and Times of Jesus the Messiah,* II-XIII (London 1906).

EISENMENGER, *Das Entdeckte Judentum* (Königsberg 1711).

FREY, J. B., *L'Angélologie Juive au Temps de Jésus-Christ,* in *Rev. de Sciences Phil. et Theol.,* V (1911).

GFRÖRER, *Das Jahrhundert des Heils* (Stuttgart 1838). I. 5. *Die Lehre von den höheren Geistern, Engeln u. Teufeln,* 352-424.

---

16. Dr. Jos. Langen, *Das Judentum in Palästina z. Zeit Christi,* Freiburg i. B. 1866, p. 307.

17. "La démonologie développée dans les textes de Philon est donc platonicienne d'origine avec une influence stoicìenne; elle est plus abstraite, plus symbolique que la demonologie superstitieuse que l'on trouve chez Plutarque," scribit Emile Bréhier, *Les Idées Philosophiques et Religieuses de Philon D'Alexandrie,* Paris 1908, p. 128-129. — Obiter: Hic auctor optimam praebet bibliographiam de hac materia!

HACKSPILL, L., *Etudes sur le Milieu Religieux et Intellectuel Contemporain du Nouveau Test.*, in *Rev. Bibl.* IX (Paris 1900) 564-577; cont. in XI (Paris 1902) 58-73: *L'Angélologie Juive à l'Epoque Néo-Testamentaire.*

KOHUT, *Die Jüdische Angelologie u. Dämonologie in ihrer Abhängigkeit vom Parsismus,* Leipzig 1866.

SCHWAB, *Vocabulaire de l'Angélologie d'Après les Manuscrits Hébreux de la Bibl. Nat.* (Paris 1897) et ad idem *Supplement,* 1899.

WEBER, *System der Altsynagogalen Paläst. Theol.*, Leipzig 1880.

IDEM, *Jüdische Theologie auf Grund des Talmud u. Verwandten Schriften,* Leipzig 1897.

INDEX NOMINUM

Alexander ab Alexandro 36
Ananias 67 *78*
Anders 42
Anger, R. 11
Antiochus *34* 80
Athanasius, S. 12 *13* 79
Augustinus, S. 25 32 66 *75*

Bandinus *40*
Bannez *52*
Bardy 92
Barnabas *17* 18 91
Baronius *13* 32
Basilius, S. *26-27*
Baumeister *16*
Beda, S. *34*
Bellarminus, S. 1 *13* 14 *53*
Bonaventura, S. *41* 64
Bréhier 96
Brüll 93
Brutus 35

Caesarius Heister. *40*
Casajoana 1 52
Cassianus 7 13 14 *32-34* 38 53 81
Cassius 35
Castro, Alphon. 2
Chrysostomus, S. *29* 31
Clemens Alex. 12
Cornely *9*
Cuychius 7 14 *22 53 66-67 70*

Davies 96
Delrio, Mart. 2
Dindorf 11
Dressel 11
Druthmarus, Chris. *5*

Edersheim 96
Eickmann 93 94 95 96
Eisenmenger 96
Empedocles 36
Epiphanius 22
Estius *8 9 53* 67 70 77
Eusebius 13
Everling 20 58 94 96

Frey 96
Funk 11 17

Galland 12
Gazaeus, Alardus 52 67
Gazzaniga *10 15 18* 22 *28* 37 *53*
Gebhardt, von 11
Gfrörer 96
Grabmann 42
Gregorius de Valentia 52
Gregorius M., S. 39 *47-51* 55 81
Gregorius Nyss. *27-29* 37 38 *51* 56 80 81
Grünzig 35

Hackspill 97
Hagen 62
Halensis Alex. *40*
Hermas 1 *11-17* 18 20 21 28 29 33 34 37 38 53 80 81 *85-93* 95
Herzog-Hauck 38
Hieronymus, S. 12 13 15 33
Hildebertus *43-51* 56 59 67
Hilgenfeld 11
Huetius 21 36
Hugo de S. Victore *41-51* 55 56 67
Hugo Parisiensis 42
Hurter *22* 44

Institoris 62
Irenaeus, S. 12

Janssens 36

Kohut 97

Lactantius *23-24*
Lake, Kirsopp 91
Langen, J. 94 96
Le Nourry 30 92
Lepicier 22 41 *54* 64 65
Libero, Gius. de *63*
Lombardus (Magister) 3 *39-51* 55 56 58 59 60 67 81

Mackenzie 91
Maldonatus *8* 34 35 52 67
Mansi 38
Mayer 36
Migne 43 48
Mohammed *36 93-94* 95

Origenes 12 13 *18-23* 26 28 29 39 81
Orpheus 36
Otho S. Victoris 42

Petavius 40 52 *71*
Petrus Pict. *40* 58 60 61
Philo Alex. 93 94 *96*
Plato 36
Plutarchus *35* 36 96
Prat, F. 58 64 94
Prosper Aq. *14* 53
Pullus Rob. 45

Reitzenstein 92
Ricardus de Mediavilla *41* 67
Roskoff 40

Scheeben 52
Schwab 97
Scotus, B. *41*
Servius 36
Smit 36 94 96
Socrates *36*
Sprenger 62
Suarez 1 *5 9* 24 26 35 36 52 *59 61* 62 67 71 *74 76-77* 78
Sylvius *41* 51 *53*

Tanner 52 75 79
Taufik Canaan 36 93 94 95 96
Tertullianus *13 24-27 36*
Theodoretus 12
Thomas, S. *41* 49 52 61 64 79
Tischendorff 11

Vasquez *52* 71

Weber 97
Weinel, H. 91

12 30533

Weber

De singulorum hominum

JAN 10 '39	Bindery FEB 20 '39
APR 4	1959 Richard Rabb 1959

Weber
De singulorum hominum.

1230533

Bindery

10 '39

FEB 20 '39

Richard Robb
5730 2 Kenwood

APR ?

1230533